

ENARRATIO MÉTHODICA  
TRIUM GEBRI  
MEDICINARUM,

*In quibus continetur*

LAPIDIS PHILOSOPHICI  
VERA CONFECTIO.

A U T O R E

ANONYMO sub nomine AYRENÆ  
PHILALETHES, natu Angli,  
habitatione Cosmopolitæ.



AMSTELODAMI,  
Apud Danielem Elsevirium.

M D C I C L X X V I I I .



ENARRATIO METHODICA

Trium GEBRI Medicinarum,

*In quibus continetur*

LAPIDIS PHILOSOPHICI

Vera Confessio.

*Medicina Primi Ordinis.*

**M**edicina primi Ordinis est illa præparatio Lapidis, quæ præcedit operationem perfectæ præparationis; & propriè vocatur Separatio Elementorum; & eorum cujuslibet per se secundum exigentiam Naturæ purificatio.

Sed Elementa purificari non possunt, nisi prius eorum naturas omnes & agritudines bene cognoveris: Sunt enim in opere Medicinæ primi Ordinis quædam ægritudines, quæ proveniunt partim à Mineris suis & partim ab ipsis Elementis, unde præcedit operationem perfectæ præparationis quædam rerum Purificatio, quæ à quibusdam Mundificatio, & à quibusdam Administratio, à quibusdam Rectificatio, à quibusdam Ablutio, & à quibusdam Separatio nuncupatur. Ipsa enim puriores rerum partes disgregat ab Impuris, ut cum levioribus & purioribus fiat successivè cum naturali coniunctione nostra perfecta præparatio; quæ sit per reductionem Humidi cum

A 2

siccio

## 4 VERA CONFECTIO

siccō latim & immediate post eorum preparationem ; aliter hūnidum non amplectetur siccum , nec Corpus Spiritum , si prius per beneficium Separationis Elementorum non essent ab eorum infestationibus cum Calcinationibus & Distillationibus , Solutionibus & Congluationibus optimè lavata : Et hoc innuit Hermes hujus Doctrinæ Princeps , in secreto suo , cum dixit Separabis terram ab igne , & subtile à spissō . Nam per separationem Elementorum & per temperatam digestionem & Calcinationem Sulfurietates combustibiles cremantur & de toto annihilantur ab igne & à terrâ , & corpus comminuitur & subtiliatur valde per talem digestionem , & aquæ depurantur ab eorum sordibus cum distillationibus , & subtiliando vertuntur in naturam Aëris per levigationem levitatis.

Hinc appareret quod si Materia corruptibilis per corruptionem Lapidis non esset separata cum Calcinationibus & distillationibus , semper reducendo id quod erat superius , super illud quod erat inferius impossibile esset eam purgari . Et sic necesse est ut post corruptionem nostri Lapidis compositum depuretur ipsius Lapidis ab omnibus suis infirmitatibus post Separationem illius per quatuor Elementa , antequam Mercurius conjugatur cum Corpore ad incendiad talem preparationem , quæ est Creatio vel perfecta preparatio Nostri Lapidis .

Ideoque necessarium est quod Lapis dividatur

## LAPIDIS PHILOSOPHICI. §

tur per quatuor Elementa cum Calcinationibus & distillationibus : Et ista divisio facta est ut substantia Lapidis sit munda, & ut totum Compositum, (scoriis sive fæcibus separatis) sit purus *Mercurius*, qui habet in se proprietatem fundendi & fixandi.

Et dicimus tibi quod hæc separatio Elementorum fieri non potest sine solutione ; nec solutio sine putrefactione, quæ est corruptio nostri Lapidis, per quam miscetur Spiritus in Corporé, & cum suis Elementis, & illa est quæ reddit Volatilia, sicut apparet in eorum separatiōnibus : & prædicta non bene se recipiunt ad invicem nisi prius fuerint utraque munda. Non enim recipit Corpus Spiritum, nec Spiritus Corpus, ita quod spirituale fiat corporeum, & corporeum spirituale, nisi sint ab omni infirmitate prius perfectissimè sanati : Cum verò sic sint, complectuntur Corpus & Spiritus & Spiritus Corpus, & eriguntur Corpora in Examinatione, & spiritus tenentur à Corporibus super Ignem.

Dissolve ergo, decoque, digere & putrefac Elementa in eorum simis ad finem, & post singulam decoctionem in humato, ut res separata melius purifcentur, & efficiantur Argentum vivum in forma Aque clare.

Sed si non dividis Lapidem, id est, substantiam quintam per quatuor Elementa, scias quod ipsa naturaliter uniri non poterit, nec conjungi cum corpore sicco, si quodlibet corum non

participat de naturâ Quintæ Essentiæ: quoniam illa quinta Essentia est commixtio omnium Elementorum, & reductio eorum in unam puram substantiam: Ideoque convenit quod illa Elementa sint benè depurata ab eorum infectionibus.

*Hoc etiam sciendum*, quòd cum Corpus sit grossum, & spiritus subtilis, universaliter permisceri non possunt, nisi primò Corpus in tantum subtilietur à Spiritu per putrefactionem, ut Corpus equipolleat eidem spiritui in subtilitate, & tunc sit mixtio talis quam ignis non separat vel superat si per Mille Annos continuè in ipsis ageret, quia sic per minima permiscentur, quod nullo ingenio (postquam sic se invicem ceperint) poterint separari.

Scias quoque quod prædicta ita subtili artificio & mystica coniunctione ad invicem sunt æqualiter commista, *quod in quolibet Corpore omne Elementum existit per potentiam*, licet per visum in ipso non comprehendatur, quod in eorum dissolutionibus clarius quam in aliqua re alia discernitur.

Item sciendum quod secundum meritum Materiæ dantur Formæ, ut dicit Plato: Et ideo non convenit eam rebus non præparatis operari, quia operatio est thesaurus complementi: Si ergo completa & perfecta præcesserit operatio, perfectum & completum aderit Complementum: si vero diminuta, diminutum, &

quan-

## LAPIDIS PHILOSOPHICI. 5

quantum decrescit perfectionis in præparatione, tantum expectetur diminutionis in operis projectione. Vide igitur, ut Elementa per Levigationes & compressiones sint ab eorum fordinibus perfectissime mundata; & tunc provenit ex eis Operatio perfecta.

Scias præterea quod Officium Medicinæ primi Ordinis non solum contra superfluorum remotionem, verum etiam contra deficientium adjectionem versatur. Præparare enim est superflua demere, & deficientia supplere, quia non possunt gravia nisi cum levium superius, nec levia nisi cum gravium inferius confortio detru-di. Nec posset Calidum nisi frigidi, nec frigidum nisi Calidi, nec humidum nisi sicci, nec siccum nisi humidi, nec durum nisi mollis, nec molle nisi duri adjectione, aliquo modo temperari vel præparari. Cum vero alternatim congrue desponsantur, generatur ex eis substantia temperata, quam non potest ignis violentia superare, nec terræ fœculeritia vitiare, nec aquæ limositas condensare, nec Contractus omnes obumbrare: Et hoc quoque innuit *Hermes* in fine sui prænominati Secreti, cum dixit: Sicut hic Mundus creatus est, ita Lapis noster creatus est, id est factus: Hoc est, sicut hic mundus sensibilis ex *gravibus & levibus*, molibus & duris, calidis & frigidis, humidis & siccis, inter se invicem à natura concordiæ pace ligatis perpetuus est effectus: ita Lapis quem

8 VERA CONFECTIO

dixi omnem rem subtilem vincere, & omnem rem solidam penetrare ex eisdem in id ipsum per Magisterium nostrum ex amicabili fœderatis super ignem perpetuus est creatus.

Scias quoque quod prædictorum præparatio per superflui remotionem & absentis additionem, exercitio quatuor Regiminum perficitur. Primum eorum est ad naturam ignis Reductio. Secundum est in aquam Resolutio. Tertium est in aëre Levigatio. Quartum est ad Terram Compressio. Primum fit Calcinando : Secundum solvendo : Tertium per Alembicum distillando : Quartum verò igne levi coagulando vel congelando : Et hoc est integra eorum præparatio : Et hoc etiam innuit Hermes in suo Secreto prænominato, cum dixit : Suaviter cum magno Ingenio ascendit à Terra in Cœlum, & iterum descendit in Terram. Per hæc enim vera dedit intelligere Corporum Calcinationem, & Spirituum cum sublimatione fixationem. Et solutionem ostendere volens, ait, Nutrix est ejus Terra, id est, Inhumatio nutrix ejus, & reviviscatrix est. Per ipsam enim res quæ fuerant prius cum Calcinatione mortificatae, nutriuntur & revivificantur cùm in aquam ablutione rediguntur. Item ut ostenderet distillationem per Alembicum, ait, Portarit illud ventus in ventre suo Cum enim aqua per Alembicum distillatur, tunc prins per ventum, id est fumum in aëre levigatur, & ab inferiori parte Vasis ad Alembici verticem deportatur, licet propter conclusionem

LAPIDIS PHILOSOPHICI. 9

sionem iterum in aquam revertatur. Hanc autem distillationem quidam in rebus solubilibus loco sublimationis habuerunt & ipsam sublimationem vocaverunt. Item ut ostenderet Congelationem, ait, vis ejus integra est, si versa fuerit in terram, id est, ad Fixionem. Et ut ostenderet quicquid per partes prius expresserat, dixit, Et recipiet vim superiorum & inferiorem, id est, Naturam superiorum & inferiorum Elementorum, quia licet à levioribus Exordium sortiatur, debent tamen in gravia terminari, ad hoc ut super ignem perpetuam habeant perseverantiam.

Aliud quoque Negotium Medicinæ Primi Ordinis est manifestare Occultum, & occultare manifestum: Illud vero quod est in occulto, est Caliditas & siccitas; & illud quod est in manifesto, est Frigiditas & Humiditas. Oportet ergo occultare manifestum, & quod est occultum facere manifestum. Illud autem quod est in Occulto, sc. Caliditas & siccitas est Oleum: & istud Oleum est siccum, & illa siccitas tingit, & non aliud. Item illud quod est in manifesto frigidum & humidum, est sumus Aquosus adustivus corrumpens, qui corruptit opus & tingit in nigredinem.

Illud quoque frigidum & humidum aquosum & adustivum est Corpus aëreum & volatile, & in eo est Caliditas, Siccitas, Frigiditas & Humiditas, alia virtus in occulto & alia in manifesto: sed in integrâ commixtione est ejusdem virtutis & naturæ. Oportet ergo habere pro-

portionem inter ista , ut frigiditas & humiditas sit compar Caliditati & siccitati , ita ut non fugiant ab igne , quia inter illam frigiditatem & humiditatem est una Particula calida & sicca . Necessarium ergo est quod frigidum & humidum recipiant caliditatem & siccitatem quæ erant in occulto , ut omnia fiant una substantia munda : Et tunc facta est amicitia inter frigiditatem & humiditatem & caliditatem & siccitatem , quia Caliditas & siccitas destruxit frigidum,humidum,aquosum & adustivum, N U T U D E I & regimine Ignis. Et sic mutatur Spiritus iste in nobilissimum corpus & non fugit ab igne. Et istud Corpus est de naturâ Solis & Ignis,& est pretiosissimum Oleum omnium occultorum , & Tinctura viva & Aqua permanens quæ semper vivit & permanet , & est Spiritus penetrativus & colorativus , & est occultum Tingitivum,Perseverativum,Ingressivum, Consolidativum, Multiplicativum, Aggregativum , Revivificativum , quod rectificat & illuminat omnes mortuos & eos surgere facit postquam destruitur frigiditas & humiditas , & manifestatur Caliditas & Siccitas , & non fugiunt ab Igne : Quicunque hæc omissa ignorat, ab opere manum suspendat , donec ipsa sciat , & cum hæc sciverit gratulabitur sibi operationem ad vota compleri.

Et finaliter dicimus tibi : Quod si Calcinatio , Sublimatio , Distillatio , Putrefactio , Mortifi-

LAPIDIS PHILOSOPHICI. II  
tificatio, Dealbatio, Rubificatio, Fusio cum Solutionibus & Congelationibus non essent facta in uno Vase, & uno Igne, Res naturaliter ab eorum immunditiis nunquam possent præparari vel purgari. Cum vero sic sint, tunc arte potes facere conjunctionem Masculi & Fœminæ, ut inter se gignant filium Ignis, qui tantus est amore omnium Philosopherum. Et in hâc coniunctione (si me intelligis) consistit totum Magisterium Nostrum.

*Explicit Theorica.*

*Sequitur Operis Processus Theorice & Practice.*

**T**er maximus ille Hermes dicit; Quicunque vult proficere in hâc divinâ Scientiâ, necesse est ut hujus Artis principia cognoscat. Nam qui principia ignorat aut de illis dubitat ad optatum finem nunquam veniet.

Ne igitur in errorem incidas in Principio Medicinæ primi Ordinis, per ignorantiam Principiorum Elementorum Mineralium, volui te hoc imprimis admonere. Cave ne accipias de Primis, nec de Ultimis, sed quod ex Ipsiſ est; quia prima sunt nimis simplicia & ultima nimis grossa.

Cujus rei explanationem si per exemplum requiras; Vide: Si panem facere instituas, ne sumas id ex quo sit Triticum, neque ipsum Triticum, sed quod sit ex Tritico.

Aliud Exemplum. Manifestum est cunctas Arbo-

Arbores, herbas & flores ex aqua & unione terræ subtilis progigni. Tamen si arborem aut florem producere concris, non terram aut aquam capies, n.e quem arborem aut florem, sed potius id quod ex ipsis est, veluti surculum aut semen. Quæ terræ Communium Parentis gremio commissa & suæ naturæ alimento enutrita, lumenisque solaris vibratione evocata, in speciem arboris & floris ad superficiem terræ debito tempore erumpunt. Pari modo, Ars nostra Divina docet è Corpore perfectiori semen eximere, quod Terræ Philosophicæ per artem præparatæ immisum, secretèque in sua sede connaturali conservatum, & Caloribus debitum enutritum atque decoctum, tanquam seminaria virtus potest sibi simile debito modo generare.

Potest etiam hæc divina scientia generatio-  
ni hominis assimilari hanc ob causam. Sicut enim semen humanum virile trahitur ab omnibus membris hominis, & potentialiter possidet omnium membrorum virtutem, & in vas naturale quod est Matrix funditur, ubi moritur, nutritur, pullulat & conversione naturali convertitur de re in rem, de statu in statum, do-  
nec inde formetur homo numero dierum suo-  
rum: sic semen hujus Magisterii ab omnibus partibus corporis Metallici educitur, omnem virtutem omnium Metallorum habens in po-  
tentia, in vas naturale collocatur; quod quidem *Vas est Mercurius, sive Aetum Philosophorum, in quo*  
*mori-*

*moritur, natriatur, crescit & præparatione naturali convertitur de re in rem, de statu in statum, donec inde formetur Lapis Philosophicus numero etiam dierum suorum.*

Hæc Mineralia, creando Lapii inservientia à quibus opus Medicinæ Primi Ordinis incipit, Philosophi vocant *Rebis quia ex bina re consistit*, sc. Ex semine fœminino, & ex semine masculino, *hoc est, ex Spiritu dissolvente & ex Corpore dissolvendo*. Hinc Marlinus nostrus:

*Res rebis est bina, conjuncta, sed tamen una.*

### *De Spiritu dissolvente sive semine fœminino:*

CUM iste Spiritus dissolvens, sive semen fœmininum sit unum de principalibus principiis nostri Magisterii. Ideo de eo tanquam de Materia (sine quâ non) profundissime meditandum est, cum revera non sit Argentum vivum naturale in suâ propriâ Naturâ, sed aliud quoddam ad generationem novam magis aptum, quod quidem præter puritatem *requirit longum atque admirandam præparationem*, suâ qualitate Minerali Homogeneâ permanente integrâ atque illæsâ. Nam si Spiritus dissolvens à suâ fluxibilitate seu Mercuriositate permutatur, prohibetur ingredi opus nostrum Philosophicum, quia perdidit naturam dissolventem; aut si idem in pulverem cujuscunque speciei vertatur præter Corporis nostri dissolvendi naturam, statim confunditur, & disproportionatur ejus intrin-

intrinseca natura, & prohibetur & inutilis efficitur ad opus nostrum Philosophicum. Falsa est ergo & vana omnis Opinio quæ alterat Argentum vivum quod est semen ante Conjunctionem metallicarum specierum cum ipso. Hoc enim Argentum vivum (non illud vulgare) est Materia omnium Metallorum, & est veluti aqua propter Homogeneitatem quam habet cum ipsis & recipit & induit virtutem & naturam eorum quæ sibi in decoctione adhaerent & commiscentur, unde est convertibilis naturæ, sicut Cœlestis Mercurius, qui talis est qualis est ille Planeta cum quo in Cælo conjungitur. Exemplum, sicut Aqua simplex fontana, quæ natura sua frigida est & humida, si vegetabilibus permixta fuerit, aliam suscipit qualitatem, & in decoctione rei permixtæ suscipit & induit qualitatem. Sic & Argentum vivum quod est Semen in rebus sibi familiaribus & permixtis, alteras suscipit naturas & qualitates: ut si Soli jungatur, Solis qualitates; si Lunæ, Lunæ qualitates: si Veneri, Veneris; & ita in aliis species metallicis, unde hæc species decoquendæ sunt in eo, & ipse Mercurius est Aqua earum, in quo alterando convertibiliter suscipit mutationes earum, & aqua hæc naturam ab ipsis contrahet in similitudine vegetabilium in simplici Aqua decoctorum. Nulla itaque aqua naturali reductione species metallicas dissolvit, nisi illa quæ permanet in eis in Materia & Forma, &

quam

LAPIDIS PHILOSOPHICI. 15  
quam metalla ipsa soluta possunt reconditare.  
Nec corporibus pertinet aqua in solutionibus  
quæ eis in congelationibus non permanet, &  
tandem Mercurius qui est Sperma est hujusmo-  
di. Quare Corpora non dissolvit aqua, nisi illa  
quæ fuerit suæ speciei, & quæ à Corporibus po-  
terit inspissari. Nec nutriuntur Corpora ad ge-  
nerationem ejusdem formæ, nisi illa eadem  
aqua ad conservandum species destructas à Cor-  
pore nostro transmutatorio per operis Artifi-  
cium. Nec unquam aperiuntur, exaltantur aut  
multiplicantur corpora perfecta, nisi consimili  
Aqua.

Qui ergo cum hac aqua divina dissolvit, nu-  
trit & multiplicat, non errabit, quoniam hoc  
nutriens & multiplicans (& nihil aliud in uni-  
verso Mundo) in eandem speciem convertitur.  
Et sicut illa aqua dissolvit, nutrit & multiplicat  
corpora, & abscondit in ventre suo: Ita & ipsa  
congelant eam, & quod fuit durum, fit molle,  
& quod molle, durum, specie tamen permanen-  
te, quæ species sunt Metalla & argentum vi-  
vum. Quicunque ergo novit Artem & Secre-  
tum confectionis prænominatae aquæ divinæ,  
pervenit quidem ad veritatis & artis Secretum,  
quod est species dissolvere & naturas ex naturis  
extrahere, quæ in ipsis latent effectuose. Sed  
quomodo veritatem reperit qui Argenti vivi  
naturam humidam destruit (ut fatui) qui ipsius  
speciem à metallica dispositione cum Salibus,  
Vitrio-

## 16 VERA CONFECTIO

Vitriolis aliisque corrosivis atque extraneis deturpant, destruunt, & in aliud mutant quam sit natura Argenti vivi. Semen enim foeminiuum, quod natura, sagacitate & clementia construxit ipsi violando & destruendo conantur perficere, quod sine dubio destruunt ad operis effectum. Nam si diviserint, seu obstruxerint Homogeneitatem Mercurii, mutilus prorsus est ad opus nostrum Philosophicum, *id est*, Metallorum. Errant quoque illi, qui putant aquam limpidam transparentem ex Mercurio naturali extrahere, & ex illa multa mira operari. Sed sit ita, quod talem aquam perficiant, nihil tamen prodesset opus, nec ad ejus naturam & proportionem, nec posset restaurare seu ædificare essentiam nostram perfectam materiæ mixtæ metallicæ: Sed quid sit, accipe.

*De Definitionibus & Proprietatibus Mercurii dissolventis.*

**M**ercurius dissolvens est id, *ratione cuius,* Metalla naturali dissolutione dissolvuntur, & spiritus eorum de potentia ducentur in actu. Et secundum istam definitionem demonstratur, quod *dissolutio metallorum non debet fieri nisi cum predicto principio.* Qui enim aliter vel cum alio dissolvit, in vanum dissolvit.

Vel sic: Mercurius dissolvens est id, quod lucidissimam & clarissimam, & sine umbrâ metallorum materiam facit, velut immutans metallâ,

LAPIDIS PHILOSOPHICI. 17  
talla, abstergens, & est illud quod à metallis  
perfectis latitantem naturam extrahit.

Vel sic. Mercurius dissolvens est vapor siccus, non viscosus, acedinis multæ, subtilis valde, faciem ignis de facili fugiens, vim magnam penetrandi & dissolvendi habens, mineralia corpora resolvens, & in ipso faciendo & præparando (præter continuum laboris & temporis longinquitatem) est maximum periculum. Cave igitur auribus, oculis, & naribus.

Confectio Mercurii dissolventis maximum naturæ superat Arcanum, & nisi divinitus, aut ab Artificibus reveletur, aut ipso opere ostendatur, vix aut nunquam ex libris elicetur.

Si Mercurii dissolventis confectio innotuisset Philosophiæ studiosis, alius sapientum Mercurius non esset inquirendus, nec alia aqua vite metallua & Mercurialis, nec alia Lapidis aquæ, quam Mercurius dissolvens hæc omnia in se continet.

Mercurius dissolvens ante legitimam præparationem Philosophorum Mercurius non est, post præparationem autem nomine Mercurii Sapientum insignitur, continens in se veram Methodum & viam extrahendi ex corpore soluto omnia metalla, estque initium Medicinae tertii ordinis.

Quicunque loco Mercurii dissolventis (ad complendum Philosophorum opus) utuntur naturali, aut sublimato, aut pulvere calcinato, vel præcipitato, falluntur & pessimè hallucinantur.

Mercurius naturalis ante legitimam & Philosophicam præparationem, remotus est ab Operè.

Mercurius naturalis Philosophicè præparatus, pro Menstruo Philosophico, & Mercurio dissolvente habetur.

Mercurius dissolvens per se solus, nihil momenti ad Generationem affert.

Mercurius dissolvens ex duobus Elementis oritur & participat, scilicet ex Terra & Aqua.

*Mercurius dissolvens est Terra Elementum, cui Solis granum debet inseri.*

*Mercurius dissolvens Solem corruptit, & in Mercurium resolvit, eumque volatilem facit.*

*Mercurius dissolvens Solem in aquam forme suæ resolvit, hoc est in Mercurium currentem, quemadmodum ipse est.*

Mercurius dissolvens in Solem vel Lunam vertitur, ideo potest altius ascendere, exaltari, & æqualis reddi omnibus Mercuriis Metallo-rum.

Mercurius dissolvens omnium animas ad se trahit, coquit & rapit.

Philosophorum doctrina prædictum est, quod Naturam necessario debemus irritare: *Si igitur Mercurius dissolvens succus fuerit, frustra speratur Solutio.*

Lapidis semen foemininum accipi debet in forma simili & propinqua Metallis, quæ ad metallæ proxime accedit.

Summè necessarium est semen Medicinæ Philosophicæ accipere, quod Mercurium dissolventem referat.

Mercurius dissolvens omnium metallorum semen fœmininum & illorum Menstruum est, arte boni operatoris eò deductus. Nam per operationem Medicinæ primi ordinis, recipit & pertransit omnium metallorum qualitates usque ad Solem.

Mercurius dissolvens omnibus Mercuriis metallorum redditur æqualis, & ad ipsorum similitudinem & naturam proximè accedit.

Mercurius dissolvens sifstitur sulphure imperfectorum metallorum, & coagulatur in metallum imperfectum, transfitque in eandem speciem metallicam imperfectam cuius sulphure est coagulatus & concretus. *Si Mercurius dissolvens non est animatus, vel anima caret, nec ad universale nec ad particulare opus aliquod momentum afferit. Maximum ergo Arcanum est Mercurius dissolvens animatus.*

Arcanum omnium Arcanorum Lapidis est scire Mercurium dissolventem materiam & Menstruum esse: Mercurium metallorum perfectorum esse formam.

Has de Mercurio dissolvente definitiones & proprietates non solum pro facilitiori & clariori operis Magisterio recitavimus, sed etiam ut artis studiosus de illo meditetur, quoniam ipse solus quasi totum beneficium Artis facit, & est

illud Vas unum Philosophorum in quo totum completerur Magisterium : de quo Mercurio etiam dicitur : Solem foliatum destruit omnem.

*Hunc solvit, mollit, animam de Corpore tollit :*  
Quam potestatem nulla alia res in hoc mundo habere dignoscitur. Scias hoc quia est magnum secretum.

*De principali Proprietate Mercurii dissolventis.*

**P**rincipalis proprietas Mercurii dissolventis, est Corpus sine damno aut detimento naturaliter dissolvere, & mundificare à corruptilibus causis, & extrahere Spiritum secundum in corpore existentem & tangentem, & reducere ad seipsum metalla per dissolutionem, & eorum duriciem mollificare, metalla illuminare, tenebras & impuritatem eorum à partibus purissimis segregando & removendo erigere, & exaltare metalla, reducendo ea ad naturam sublimem, inspirare & subtiliare dum solidum facit spirituale. *Hæc sunt beneficia & effectus Mercurii dissolventis Corpus, extrahentis ab eo Spiritum tangentem.* Et de isto Mercurio est necessarium ut habeatur magna quantitas, & in Ampulla bene obturatâ secludatur & secreta à frigo & conseretur. Et hoc est de intentione Alberti Magni, & ipse vocat ipsum humidum, siccum igneum. Item scopus prænominati Mercurii est respicere & constrin gere ad infima. Præterea notetis quod Mercurius dissolvens plurima habet nomina, quorum tamen

tamen pauca (ut ea quæ à nobis postea recensentur melius intelligantur) recitare libet.

Vocatur Aëtum, Acctum Philosophorum, Ager, Aludel, Aqua, Aqua Artis, Aqua ardens, Aqua divina, Aqua fontis, Aqua munificans, Aquæ permanens, Aqua prima, Aqua simplex, Balneum, Cælum, Carcer, Cilium humanum, Cibrum, Fridanus, Fumus, Humiditas, Ignis, Ignis artificialis, Ignis corrodens, Ignis contra naturam, Ignis humidus, Jordanus, Liquor, Liquor vegetabilis crudus, Luna, Materia, Materia Lunaria, Prima Virtus, Mater, Mercurius, Mercu<sup>ri</sup>is crudus, Mercurius dissolvens, Mercurius præparans, Ministerium, Ministerium primum, Natura quinta, Quinta Essentia, Spiritus, Spiritus crudus, Spiritus cocti Sepulchrum, Sperma Mercurii, Stygia Lympha, Stomachus struthionis, vas, vas Philosophorum, visitatio occultorum, & Argentum vivum crudum à minera simpliciter extractum: sed non illud vulgare quod in Pharmacopoliis habetur vœnale: Hactenus de Mercurio sive Spiritu dissolvente.

*De Corpore dissolvendo, & ejus Operे.*

**Q**uod ad corpus attinet sufficiat hoc tempore solo Lithargyrii vel corporis nomine vocare. Corpus autem hoc, ad omnes perferrandas miseras est ordinatum: Oporiet enim transire per ignem & aquam, & renasci, aliter in re

*quiem eternam ingredi non poterit : Cujus Color est brunus, subrubeus, & non fulgidus. Item Opus ejus est, dissolvi, exaltari, mori, & ad altum ascendere.*

*De predictorum duorum Coniunctione.*

**H**is duobus scilicet Spiritu & Corpore habitis. & secundum debitam proportionem simul conjunctis, ex eis fit alius Mercurius : Et hic est ille *Mercurius* de quo scribitur, Est in Mercurio quicquid querunt Sapientes. Corpus ab hoc, anima, Spiritus tinctura trahuntur. Iste Mercurius est in vapore humidus, non unctuosus sed viscosus, acedinis maximae, mediocriter subtilis, ignis asperitatem de facili fugiens, & in eo evanescens; vim solvendi corpora & Spiritus possidens, anima in se ipso existens; & in ipso præparando adsit assiduitas & patientia, cum expectatione congrua, cuius finis commodum & lætitia. *Avisit ligrities, & negligentia & festinatio diabolica, cuius finis damnum & triflita.* Notetis quod postquam prædicta, scil. Spiritus & Corpus simul conjunguntur, semper vocantur uno nomine: hoc tamen unum nominatur nominibus omnium rerum istius Mundi. Et propter hoc Multi errant, tum propter multiplicatatem nominum, tum etiam præcipue propter ignorantiam debite proportionis.

Sed usitatissima nomina in principio Medicinæ Primi ordinis hæc sunt. Vocatur Aqua, aqua

inspissata, Aqua nostra, Aqua secunda, Ar-  
canum, Argentum vivum, Bonum, Bonum  
multorum nominum, Chaos, Compositum  
nostrum, Confectio nostra, Corpus confu-  
sum, Corpus mixtum, Cuprum, Æs nostrum,  
Æs Philosophorum; vocatur etiam Fimus, fi-  
mus Equinus, Fumus, fumus aquosus, Humi-  
ditas aquosa, humiditas adustiva, Ignis, Ignis  
alienus, Ignis innaturalis, Lapis, Lapis Mine-  
ralis, Lapis unus, Laton, Materia una, materia  
metallorum massa confusa, Menstruum, men-  
struum secundum, Mercurius, Mercurius in-  
spissatus, Minera, Minera nostra, Minera me-  
tallorum, Nummus, Ovum, ovum Philoso-  
phorum, Radix, radix una, Res una & res vilis.  
Hic etiam est ille Mercurius in cuius præpara-  
tione præcipitur: Quod à rebus siccis sibi in  
nullo convenientibus valde sublimetur quouf-  
que cœlestem acceperit colorem, quod miselli  
homines de Mercurio naturali sunt hallucina-  
ti: & de quo admonetur, ut caveas præcipue in ejus  
mundificatione à privatione virtutis sua, ne vis activa  
suffocetur in aliquo. Nam omnium terra nascen-  
tium semina non multiplicantur, neque cre-  
scunt, si vis illorum generativa per aliquem  
calorem tollatur extraneum. Postremo hic est  
ille Mercurius vel Lapis qui vocatur Lapis in-  
capitulis librorum notus. Et ab hoc Mercurio non  
nulli Philosophorum libros suos & sermonem ordiun-  
tur: scias hoc quia est magnum Secretum.

Nunc cum tibi recensui hujus nostri admirabilis Compositi nomina, si volumus proficere in hâc Sapientia oportet nos istam admirabilem mixtionem scu maximum Arcanum primo componere, & postea ipsi m mutare de natura ī naturam : Luca sic dicit. te in Turba ; Pluribus rebus non indigetis nisi Una tantum , & hæc res una in unoquoque gradu operum nostrorum in aliam vertitur naturam.

Idem testatur Geber cum dicit , Ars nostra non consistit in pluralitate rerum , est enim materia una (id est Metallorum) in qua consistit Magisterium nostrum , cui non addimus rem extraneam aliquam , nec minuimus nisi quod in ejus præparatione superflua removemus.

In hanc sententiam loquitur Haly Philosophus dicendo , Totum Artificium nostrum in uno Lapis contineri, cui nihil addatur aut commisceatur in toto , aut in parte , hunc à Philosophis & Sapientibus in opus assumi , & ignem ab eo exhalari , donec opus perficiatur. *Morigenes* idem affirmat : Dicit enim , Omne hoc quod à Philosophis requiritur , unam Solam rem esse : Patrem & Matrem habentem , & ab ipsis creatam & nutritam , & sui ipsius Patrem & Matrem esse.

Præterea Sanior Philosophus scriptum reliquit , Eam rem quam Philosophi querunt unam rem esse , quam omnium Corporum & specierum nomine appellaverunt : Alio loco  
idem

idem dicit Lapidem Philosophorum unum esse, qui in se habet omnem naturalem præparationem, & omne id quod ipsi necessarium sit.

Dicit præterea *Arnoldus* in Epistola ad Regem Neapolitanum : Lapidem Philosophorum sive Compositum nostrum esse rem unam & unius naturæ , & in ipso contineri omne id quod sibi necessarium est, & in se quoque habere illud à quo melioratur & quod ipsum complet.

Hermes quoque idem affirmit his verbis : O quam admirabilis est hæc una res quæ habet in se omnem rem necessariam ad operis complementum : Atque ob eam causam hæc res una vocatur Minor Mundus, quoniam ex eo & per eum , & cum eo & in eo sunt omnia metalla & omnia operi nostro necessaria.

His gravissimis Philosophorum sententiis consideratis , necessario fatendum est Elixir non ex pluribus , sed ex uno Solo fieri debere. Hoc tamen Unum quod Argentum vivum dicitur, non est unum in Numero (ut inquit Rippleus nostras in suâ scala) sed Genere. Sicut Masculus & Fœmina sunt sufficientes ad problem procreandum sine aliquo Additamento.

Ex prædictis itaque colligi potest quod Lapis noster ex duobus compositus fit unum, quod sufficit ad Medicinam quæsitam. Sicut ovum ex duobus compositum fit unum , quod sufficit ad pullum perfectum : Quidam tamen dicunt quod hi's duobus addatur tertium : Nam sicut

*homo ex anima, Corpore & Spiritu constat;* ita & Lapis noster : Numerus tamen duorum propter hoc non augetur, quia Tinctura dicitur *Anima*; totum Compositum Corpus est, *Spiritus* vero dicitur natura volatilis antequam figatur aut firmetur : Et propter hanc causam Philosophi dixerunt tria & haec tria sunt unum, & in uno sunt Tria : Corpus, *Spiritus* & *Anima* sunt unum, & omnia sunt ex uno. Et si quis erraverit ab illo uno in principio in vanum laborat.

*Tinctura dicitur anima, totum compositum est,* *spiritus vero dicitur natura volatilis, antequam* *figatur & fixetur.* Dœmogor. 401. cap. 523.

Cognito demum per Philosophos quod Lapis noster post compositionem aut conjunctionem est res Una; & quod haec res una secundum Lucam debet mutari de Natura in naturam, scil. de frigiditate & humiditate in caliditatem & siccitatem. Restat videre per quem modum fiat ista mutatio: Profecto per Putrefactionem. Et ut perfectè sciamus facere, oportet nos habere cognitionem Principiorum tam Naturalium quam Artificialium: Nam qui Principia ignorat, tedium sortietur in fine.

Primum ergo Principium naturale; dicimus Materiam nostram, seu causam materialem terræ, aquæ, ignis & aëris sub Nutu Dei, id est temporis divisione.

Secun-

Secundum est Calor, id est, Ignis alienus, qui est Instrumentum movens ipsam materiam ad putrefaciendum, & non est aliud Agens in Mundo. Unde inquit Alphidius, Scito, fili, quod substantia agens in hoc toto mundo est Unum, scil. Calor. *Calore enim sublato, nullus omnino Motus est.* Motus autem est Actus, ideoque dispositionis & totius operis Artifex calor est Ignis. Sed cum multi sunt gradus Calorum sive Ignis: videamus quid sit iste & in quo gradu sit. Et certe Ignis sive calor est ignis sive Calor intensissimus, sic testante Maria. Mensura ignis tui esto sicut Solis in diebus Junii & Julii, & vocatur Fimus Equinus, sed non est, scil. per contrarium, ut inquit Alphidius: Igne (id est alieno) coquitur, quod tibi ostendam, & est calidus & siccus in quarto, cuius proprietas est augmentare siccitatem, condensando humiditatem. Nam sicut ignis fimi equini augmentat frigidum & humidum propter suam frigiditatem & humiditatem quæ prohibetur. Ita fortitudo ignis calidi & siccii, siccitatem disponit, naturam humidam in naturam sicciam terminando. Solus enim ille Calor est humiditatis inspissativus & mixtionis perfectivus, & talis calor est summè necessarius in generatione & procreatione rerum naturalium. Huic autem Calori non assimilatur alius in Mundo nisi naturalis, qui est Ignis Solis in visceribus terræ.

Visis ergo Principiis naturalibus, videamus  
Artifi-

**A**rtificialia. Principia artificialia sunt duo principalia instrumenta in quibus perficitur ista Putrefactio.

Primum est *Caraba*. Secundum *Aludel*, id est, Venter Equi, in quo debet poni Materia. De quo *Vincenius* dicit: Solutiones corporum & Spirituum instrumenta sunt multa; Unum tamen dicitur Venter Equi & sit duobus vasis, quorum alterum est Aludel, in quo ipsa materia ponitur, stetque in fornace & subtus nutritar ignis ut bulliat. Avicenna dicit quod istae dispositiones non possunt fieri, nisi in vasi dupli cognito, quod vas est Venter Equi suprà nominatum.

Item cum definitio sit omnino quid sit esse rei significans. Videamus quid sit Putrefactio, ut melius cognoscamus eam. Putrefactio est substantialis humiditatis corruptio, ex indigenitia caloris naturalis, superabundante calore alieno artificiali exterius agente.

Notatis, Calore alieno artificiali exterius agente: Nam ipse Calor alienus est instrumentum agens, seu perficiens putrefactionem corruptione humida. Sed si queratur per quem modum facit putrefactionem hanc Calor? Respondemus: Calor calefacit Corpus sibi applicatum, & Calefaciendo facit evaporare humiditatem, quam humiditate omnes partes siccæ continuabantur, & faciebant unum corpus mixtum continuum & unam rem. Et ita Calor

cor-

corrumpt & putrefacit ipsam rem, quia Corpus quod prius ratione humidi erat continuum, ratione ejusdem exhalati efficitur discontinuum & amplius non persistit in substantia corporis mixti continuo, sicut videtur in ligno in igne posito. Nam fortitudo caloris ipsius ignis facit evaporare à Ligno aquam & oleum, mediantibus quibus, lignum primò erat Corpus mixtum & continuum, modo post separacionem aquæ & olei, remanent Cineres, & partes secæ ex toto discontinuae & pulverizatae. Et propter istam similitudinem putrefactio vocata fuit Cinis à Philosophis. Unde rectè inquit Hermes: Ne Argentum vivum negligentiae tradas, nigrum enim cinerem dealbat, & per Sapientium ignem fit opus. Ideo vocata fuit etiam calcinatio propter eandem similitudinem. Nam sicut fortitudo Ignis privat lapidem suâ humiditate & de ipso facit calcem; sic putrefactio. Unde Parmenides in *Turba*. Nisi vertatis naturam, ejusque compositiones & complexiones sciatis, & bene coaptetis consanguineum consanguineo, & primum primo, inconvenienter facitis, nec quicquam operamini, eo quod naturæ cum suis consimilibus naturis consequentur eas & lœtabuntur in eis: Putrescunt namque & disjunguntur, cù quod natura naturam regit, quæ ipsam diruit, & in pulverem vertit & deducit. Apparet ergo quod per putrefactiōnem Corpus destruitur, & in aliud effic deduciatur,

tur, sicut Lapis per calcinationem. Item notabis quod per putrefactionem fit inspissatio Spirituum aquarum, ex conversione frigidi & humidi in caliditatem & siccitatem, quod apparat ibi supra. Jam viso quid sit Putrefactio, & etiam qualiter fiat: Videamus signa per quæ possumus cognoscere quando erit perfecta & quando non.

*Signa five accidentia principalia per quæ possumus intelligere ipsam esse perfectam aut non, sunt tria. Color, Odor, & Tactus. Color scil. Niger, Odor foetidus, Tactus vero ponderosus. De Colore Avicenna in titulo de Humoribus sic dicit. Calor agens in humido corpore primò generat Nigredinem. Ideoque obscuratus est Sol in ortu suo ut dicit Senior. Et hæc nigredo est operis initium, putrefactionis indicium, certumque commixtioni principium, solutionis corporis signum, & suscepit unius in alterum. Item Arnoldus: verum cum denigratur, clavem operis esse dicimus, quoniam non fit absque nigredine, ipsa namque est Tinctura quam quærimus, qua in quolibet Corpore tingamus, quæ quidem occultata fuit in suo Ære, quemadmodum anima in corpore humano. Item mireris Philosophus: Fili, sic in principio ut habeas colorem nigrum, & tunc certus eris, quod putrefacis & viam rectam proceperis. Item Raimundus: Nigredo demonstrat signum primæ Portæ ad intrandum Magisterium nostrum, & absque ipsa nihil fit, cuius causa est Ignis Naturæ, qui habet Lapidem creare;*

creare, qui sine sui Corporis putrefactione manifestari non potest: & nisi manifestetur, nunquam in actione erit per quam possit crescere & generare. Et de Odore nostri Lapidis Morienus sic dicit: *Odor nostri Lapidis malus est & foetidus, & odori sepulchrorum assimilatur.* Et de Tactu ejus, idem Morienus dicit: *Tactus autem Lapis-  
dis mollis est & multum gravis.* Item Author perfecti Magisterii, Plumbum, id est, Argentum vivum mixtum in sua altitudine est plumbum & argentum nigrum, frigidum siccum, terreum, melancholicum, marcidum, nigrum, foetidum, ponderosum & foemineum. Ex his ergo apparet quod putrefactio tunc est perfecta, quando est nigra, foetida, & ponderosa. Item notetis, quod Argentum nigrum, Calcinatio, Incineratio, Melancholia, Putrefactio & Prægnatio idem significant.

At, dices quid remanet calcinatum post putrefactionem? Respondemus, Essentia nostra perfecta materiæ mixtæ metallicæ, quæ ante putrefactionem erat in Potentia ipsius, introducta per proportionem rerum mixtarum, id est Elementorum, à quibus erat composita, quia talis Essentia non ita corrumpitur ut aliquo pacto annihiletur, seu in nihilum reducatur, cum essentiam subjectam naturam in nobis destrui non sit possibile, sed quantitatem & formam illam quæ dabat esse tali mixto, modo per putrefactionem & accidens veniens ab extra  
de-

destructo & putrefacto, quam formam & quantitatem ex mixtione suscepereat, hæc quidem penitus annihilatur. *Exemplum.* Sicut totum integrale, puta domus, consistit ex suis partibus integralibus unitis, & destructa seu disjuncta una parte à loco suo quem prius habebat in toto, destruitur quantitas & forma totius domus, & tamen remanent Lapidés, ligna & fundamenta, ex quibus constabat domus: Ita etiam fit in proposito nostro. Nam separato humido à loco suo quem habebat in commixto elementari, tanquam pars integralis in toto, & hoc per calorem elevantem & separantem ipsum ab aliis partibus annihilatur quantitas & forma ipsius mixti, subiecta tamen essentia humidi non annihilatur, nec potest annihilari.

Sed extat(inquies) in oppositum experientia: Si enim applicetur igni olla aquæ plena, invalescente ignis calore, paulatim exhalando minuetur aqua ipsa quoad nihil aquæ penitus in olla remanebit, ergo essentia ejus annihilabitur. Huic autem objectioni respondemus nequam militare contra positionem nostram, quoniam de naturâ mixti metalli loquimur hic, quod etsi calcinatur quoad suum esse totius compositionis, tamen ipsum penitus non destruitur, ut supra de Domo exemplificavimus: Et ita si olla cooperiatur, ne vapores exhalare possint, aqua ipsa annihilari non videtur, contra nostram igitur intentionem inductus cavil-

lus non est , quamvis etiam juxta Peripateticorum Principis (primo suorum Naturalium volumine) intentionem facilis esset evasio dubitationis inductæ , quoniam neque materia ipsius aquæ in illa contrariâ ignis actione annihilatur, imo remanet. Non enim sequitur : Nihil remanet in olla ; ergo subiecta aqua annihilatur. Et tunc dicitur quod aqua habet materiam subtilem & raram & ex consequenti valde possiblem. Item habet qualitates penitus contrarias qualitatibus ignis , nam caliditas ignis frigiditati aquæ opponitur , & siccitas humiditati : Cum ergo Caliditas vincit frigiditatem , tanto magis subtiliat & *rarisfici* aquam , ut convertat eam in aërem , & ita aquæ materia non erit aliquo pacto destructa, licet formam aëris suscipiat. Nam aër generatur ex calido Ignis & Humido Aquæ , & Terra ex sicco Ignis & frigido Aquæ. Unde Morienus: Quatuor sunt elementa, quorum duo sunt principalia , & summo pere contraria , ut Ignis & Aqua ; Alia verò duo generantur ex istis , ut Aër & Terra. Hoc idem quam optimè declarat Albertus Magnus in libro Perigeneseos: Item videmus vapores aqueos virtute caloris sursum ascendere , & contra naturam suam elevari. *Nam Aqua super naturam semper deorsum locum suum petat tanquam grave.* Cumque hi locum maximi frigoris attingunt , ubi frigiditas superat caliditatem , tunc virtute illius frigiditatis insufflantis in Nubes , in aquam

convertuntur, & ita naturaliter descendunt, generaturque pluvia: Et etiam cum ventus Septentrionalis (cujus natura est frigida & sicca) obviat Australi, tunc si frigilitas Septentrionalis superat caliditatem Australem, condensatur & congelatur in nubes, & haec aliquando in pruina, aliquando in grandinem, aliquando in nivem, & aliquando in glaciem convertuntur. Ex quo apparet, quod rerum essentia non potest annihilari, sed recipit conversionem, cum natura unius naturam alterius superat in mixto.

*Explanatio praeominata generi sententiae Gebri.*

**G**EBER inquit, Ars nostra non consistit in pluralitate rerum, est enim materia una, in qua consistit Magisterium nostrum, cui non addamus rem extraneam aliquam, nec minuimus, nisi quod in ejus præparatione Superflua removemus. Hæc sententia in tribus consistit, scil. Quid sit Materia una? Quæ sunt Superflui removenda? Et qualiter debent removeri? His tribus cogitis, intelligitur sententia, qua intellecta, facile intelliguntur, ejusdem generis, aliae.

Quid autem sit materia una, superius in synonymis est ostensum. Jam ergo videamus quæ sunt illa superflua in præparatione removenda? Certe Sulphura nigra corruptientia, & Unctuositates comburentes: Hæc & similia sunt superflua quæ in præparatione materiæ unius sunt remo-

removenda: Sed dices, qualiter sit ista removenda? Procul dubio, Primò Nilo Aegypti, hoc est, cum Aqua humida: Et postea cum Persia in Secretis, hoc est, cum igne sicco. Et cum putrefactionibus, sublimationibus & distillationibus in suo proprio vase, hoc est in Aludel, unde Albertus Magnus: *Si tu ris preparare absque sublimationibus & distillationibus, tu perdis Pulveres tuos, quia effissime erolabunt.*

Huic nostræ Intentioni & illud Hippocratis in Aphorismis eleganter accommodare possumus: In perturbatione & vomitu quæ sponte fiunt, si qualia oportet purgari, purgentur, bene crit: si vero non, è contraria. Qued si (ad propositum transferentes) exponimus: In perturbatione Ventris, id est putrefactionibus quæ fiunt in Aludel, & Vomitibus qui sponte fiunt, id est sublimationibus & distillationibus quæ fiunt in Caraha, ascendendo sursum, sicut est Vomitus, si qualia oportet purgari, purgentur, bene est; si non, male. Ex his ergo apparcat, quod si bene sciamus facere putrefactionem quæ est turbatio clementorum, seu Deligatio vel mundificatio. Et bene per sublimationem & distillationem removere hoc ab hoc, hoc est, purum ab impuro, bene preparamus & nobis benè erit, si vero non, è contraria. Et notabis quod adhæret pars una fixa cum foecibus, quæ nunquam per ingeniorum genus aliquod potest separari ab illis, cum ipsa penitus fixa fuerit cum ipsis.

Sed dices cuius Coloris debet esse ista materia una postquam superflua removentur? Profecto Albi Coloris. Unde Hermes in Allegoria sua inquit: Scitote rumorum Inquisitores & Sapientiae filii; Quod Vultur supra montem extensem in Cacumine, voce magna clamat, inquiens, ego sum Album nigri, Citrinum Albi, & rubrum citrini, veridicus sum certe & non mentior.

Notetis ergo Album nigri, nam ipsum album ex nigro extrahimus. Idem testatur *Alphidius* cum dicit: Argentum vivum quod ex eo scilicet corpore nigro extrahitur, est Humidum *Album*, à Corticibus mundum, ne opus pereat. Item dē hoc idem: Scito, Fili, quod hic Lapis, qui est materia vel Radix Artis, de quo omnes Sapientes tractaverunt, Argentum vivum est; & est quoddam Argentum vivum Albi coloris & plusquam speculum *splendens*.

Hoc itaque Argentum vivum *Album*, ex subtilissima illa nigredine extractum, est Mercurius ille tingens Philosophicus cum suo sulphure albo & rubeo naturaliter sibi commixto in ipsa Minera, mediocriter præparato, simpli citer perfecto, Artificis arbitrio relicto, usque ad consummationem perfectam. Et de hoc Argento vivo dicit Rosarius: Hic est Mercurius noster nobilissimus, Deus enim nunquam crevit rem meliorem sub Cælo, præter animam rationalem. Item Plato: Hæc est Materia nostra

stra & secretum nostrum. Et est Aqua albificans Indicum Lapidem ut ait Maria. Hæc res est Aqua albificans India demum Lapidem , id est , Indicum : Et ista aqua est aqua viva quæ Mercurialis dicitur ut omnes asserunt. Et est Argentum vivum Sapientum (id est Argentum vivum cum Arena alba per ignem & aquam septies mundatum , coagulatumque ab Argento vivo) de quo dixit Hermes : Custodite hoc Argentum vivum coagulatum , id est mundatum , quod est in intimis Thalamis in quibus coagulatum est. Ipsum enim Argentum vivum est de Corde Saturni , & est Secretum Scoliæ , & dicitur Terra residua. Item Solomon : Hoc Argentum vivum est tanquam sponsa ornata viro suo : cui data est in manu ejus potestas , honor , virtus & imperium regni , habens Coronam in capite suo radiis septem stellarum rutilantium ornatam , & in vestimentis suis scriptum literis aureis , Græcis & Barbaris & Latinis : Ego sum unica filia Sapientum , stultis penitus ignota. Item *Hortulanus* , Hic est Mercurius noster verus extractus ex metallis , & est bene Lotus & Digestus : Et Juro per Deum quòd nullus alius Mercurius est in via universalí nisi jam declaratus , in quo dependet tota Philosophia nostra . Qui aliter dicit falsum dicit. Hoc idem testatur Comes Trevirensis cum dicit : Argentum vivum non est in alia re nisi in Metallis. Item fertur in *Turba* : Initium totius operis Philo-

## 38 VERA CONFECTIO

Iosophici , est Albedo , id est , Argentum vivum de argento vivo : Quo safto , Materia una est ita preparata , ut possit recipere nostram divinam conjunctionem cum corpore suo , aliter non : Qui igitur Verba audit , ipse inquirat . Nunc terramur per illum , qui nullius male perpetratum opus justificat , & nullius recte & bene exaratum condemnat , nos jam detexisse quicquid celaverunt Antiqui de hac sapientia , & maximum Arcanum (scientiam & intellectum habentibus) patefecisse .

Notabis quod Acetum , Aequatum ,  $\text{\AA}$ s Album , Agnus , Agnus immaculatus , Aibathest , Albedo , Alborach , Aqua , Aqua Benedicta , Aqua gravis , Talchi , Urinæ & vitæ , Argentum vivum , Argentum vivum animatum , Coagulatum & mundatum , Argentum , Argyrion , Zoticon , Arsenicum , Auripigmentum , Aurum , Aurum album , Azoch , Baurach , Borax , Bos , Cambar , Caspa , Cerusa , Cera , Chaia , Comerisson , Corpus album , Corpus improprium , Corpus vicinus , D. cember E. Electrum , Essentia , Essentia alba , Euphrates , Eva , Fada , Favonius , Fundamentum artis , Gemma Giulianis , Guinina , Gumma alba , Hermophroditus , Hæ , Hypostasis , Hyle , Inimicus , Insipidus , Lac , Lac Virginis , Lapis , Lapis in capitulis notus , Lapis mineralis , Lapis unus , Lubricum , Luna , Luna plena , Magnesia , Mater , Materia una Metallorum , Medicina una , Medium dispo-

dispositivum, Menstruum, *accutus* Occidens, Oleum, Oleum vivum, Olus, Ovum, Phlegma, Plumbum, Plumbum album, Functum, Radix, Radix Artis, Radix una, Res una Metallorum, Rebis Sal, Sal Al. hali, Sal Elebrot, Sal fusibile, Sal Metallorum, Napo Sapientum, Seb, Secundina, Sedina, Senectus, Seth, Serinech Servus fugitivus, Sinistra, Socius, Soror, Sperma Metallorum, Spiritus, Stannum, Sublimatum, Succus, Sulphur Sulphur album, Sulphur unctuosum, Terra, Terra fructuosa, Terra potentialis, Tevos, Tincar, Vapor, Vespera, Ventus, Virago, Vitrum, vitrum Pharaonis seu Mannihillabile, viginti unum, urina, urina pucrorum, unctus, vultur, Zibach, Ziva & id genus multa idem significant.

Præterea notabis, quod Superflua removere in prænominata Gebri sententia citata, verba sunt æquivoca: quia significant etiæ illud quod operi superfluit, quod est utilissimum operi, & ob eum causam nos vocitamus illud Superfluum Utilissimum, quod tamen certis temporibus est removendum. Scias hoc, quia est magnum Secretum.

#### *De Superfluo Ut. lissimo & ejus Operatione.*

**S**uperfluum utilissimum est oleum sive limositas Corpus nutans super menstruum, post dissolutionem illius, & est necessarium ut Corpus convertatur in

Oleum, quia si non conservatur, in seipso Solidum remanebit, & quod quarimus, non fiet, & sequetur privatio omnium Principiorum hujus Artis.

Cognito autem per definitionem quid sit superfluum utilissimum, ut id melius cognoscamus, videamus per Philosophos ejus operationem.

Rosarius dicit: Quicunque vult intrare Rosarium nostrum, & ibi videre & habere Rosas tam albas quam rubeas absque illâ re vili, scil. absque humido superfluo nigro, cum quo nostræ referaturæ referentur, ille assimilatur homini ambulare volenti absque pedibus, quia absque illa re vili nunquam pretiosum perficitur. Hoc autem vile Philosophi honoraverunt, & dixerunt quod sit Lapis & non Lapis, omnibusque nominibus nominaverunt.

Genesim primo: Spiritus divinus sese super aquas libraverat, (& principium generationis ex eo.) Idem: Exhalavit ex terra Vapor, qui universum ejus solum (dico proprium) irrigavit.

Item Astanus in Turba: Accipite ipsum Spiritum nigrum unientem, in nubibus sedentem, & cum eo Corpora diruite & cruciate, quoque alterentur ad benè placitum vestrum.

Idem: Ipse Spiritus est totus igneus, & mundans per igneitatem suam, dividens omnia corpora cum suis coæqualibus.

Item Hermes: Ipse Spiritus niger est reductor animæ

LAPIDIS PHILOSOPHICI. 41  
animæ ad corpus suum , & totius operis refor-  
mator , & omnia quæ quærimus sunt ex eo.

Item Senior in Epistolâ Solis & Lunæ: Aqua  
quam memoravi , est res de Cælo descendens ,  
& terra cum humore suo suscipit eam , & reti-  
netur aqua Cælicum aqua Terræ , & aqua ter-  
ræ propter servitium suum , & arenam suam ho-  
norat eam , & congregatur Aqua in aquam , &  
retinebit aqua aquam , & dealbabitur Albira  
cum Astuna.

Idem: Spiritus ille niger est reductor Animæ  
ad corpus suum , qui vivificat post mortem  
suam , & per eum vita est , postquam non erit  
Mors.

Idem : Descendit fumus superior ad inferio-  
rem , & concipit fumus à fumo ; nihil eò aspe-  
ctu vilius , & nihil eo in natura pretiosius , &  
eum Dcūs pretio emendum non posuit.

Hactenus ut cognoscatur quid sit superflua  
utilissimum , & quid in opere nostro operatur.

*Quomodo superflua removentur atque abluuntur.*

Cognitio remotionis atque purificationis Su-  
perflui tam utilis quam inutile magnum  
secretum est & paucissimis cognitum. Sed qui  
sententias sequentes huic proposito inservientes  
probe intellexerit , is totam istius rei difficulta-  
tem facile superabit. Primo pro Corollario di-  
cam : *Quod nisi Corpus in initio Coquendi igne tem-  
peratissimo sublimaveritis donec totum fiat una aqua*

*clara,*

## 42 VERA CONFECTIO

*dura*, ex duobus *composita*, nihil omnino facit. Scitote itaque quod intentio Philosophorum est, ut Corpus quod non erat aqua. sicut Spiritualis aqua, cum aqua in qua est. Hanc Aquam Philosophi multis nominaverunt nominibus, & eam Hermes ablui jussit multoties, ut Solis nigredo deleatur quam in solutione corporis acceperat, & quod solvitur sit Spirituale, sursumque sublimatur. Unde *Philosophus*: Levi namque elixatione Spiritus tingensque latet in corpore elicetur sursumque fertur, & cum nihil amplius ascenderit, scito totum corpus dissolutum esse; cum videris aquam fixam sine actione aliquâ, scito corpus dissolutum esse, & rati non ares qualis sit ignis. Melius est enim regere cum patientia, donec Spiritus & Corpus unum fiant; itaque corporea fiant incorporea, & incorporea corporea.

## Sententia.

**B**onellus Philosophus de remotione superflui inquit: Quando Philosophi viderunt nigredinem aquæ immincre, cognoverunt Corpus in parte liquefactum esse, tunc præceperunt iterum suo imponere Vasim, & coquere, quoque Lapis sit coruscans, splendorem habens, quo viso, maximum habetis Arcanum. Azinabam Philosophus dicit, Lucas quoque in Turba: Intentio Philosophorum est, ut corpus in parte solutum in pulverem nigrum, suam ni-

gre-

greditatur aquam , ut totum fiat quid indivisi-  
sum : Tunc Vapor continet suum compar , id  
est , aqua aquam , sicut natura propriam : unde  
Philosophi clamant , Natura natura lætatur &  
gaudet ; Natura naturam superat ; & Natura na-  
turam appetit , desiderat , concipit & amplecti-  
tur , nutrit , renovat , confortat & continet ,  
docens ipsam præliari contra ignem.

Ripleus nostras de his naturis loquens , dicit ,  
Quod altera istarum , quæ remanet in fundo ,  
est Terra , & altera quæ ascendit à Terra est  
Cælum . Toties , inquit , reiterandum est Cælum  
super terram donec terra fiat cælestis & spiritua-  
lis , & Cælum fiat terrestre & jungatur cum  
terrâ .

Duas ergo naturas , scil . superiorem & infe-  
riorem conjungere debes . dñnes naturas tibi at-  
trahas & fiat res lucidissima & clarissima , quæ  
lucescit & illuminatur postquam fuerit in sua  
magna & excellentissima pfectione coaptata .

Item Alphidius de remotione superflui sic di-  
cit : Redde Carbonem suæ aquæ ut extingua-  
tur in ea , & reum conceptio fiat in fundo va-  
sis , & ut fiat quasi lutum turbidum , quod vi  
(putrefactionis) Coagulationis est principium .

Daftin quoque Philosophus dicit : Si Lato-  
neum Alkebrit comburatur , & mollities super  
eum frequenter fundatur , ejus natura de bono  
in melius , Dei auxilio , convertetur .

Item Bassen in Turba : Reddite ei sudorem  
suum

suum quem ejecit, ac iterum neci date, requiemque ei constituite, carentes ne fugiant. Lucas quoque in Turba idem testatur, dicens: Sumite nubem quam priores sumi jusserunt, iterumque suo imponite Vasim, ut Brodium fiat saginatum; & secundum consuetudinem à sua nigredine private, abluite, & æquo igne assate donec dealbetur.

Item *Rasis* in libro de divinitate hujus rei mentionem faciens, jubet oleum auferri spongia quod supernataverit tam diu, donec nihil amplius elevetur nigri, & superius elevabitur nubecula rotunda quæ relinquenda est, donec ipsius sublimatio sit firmata, deinde unam nubeculam post aliam accipiendam, & in aquam ebullientem submergendam esse, donec omnes nubeculæ fuerint consumptæ. Has enim nubeculas sulphuris oleum esse scito.

Hoc idem significare voluit Geber multis in locis. In Libro primo ubi de Sulphuris præparatione loquitur: Et in *Libro Investigationis*, ubi de metallorum præparatione agit: Et in lib. 2. cap. 8. Sub nomine *Marchasita*, ubi hæc verba habet: *Sine ignitione sublimetur illius sulphur, semper removendo, quod ab eo sublimatur sapissime;* quia sunt fumi subtilissimi, & temperatæ indigent decoctione, ut in scipis secundùm æqualitatem inspissentur.

Item de hâc ablutione loquitur etiam Albertus Magnus lib. 3. Mineralium cap. 2. & in 2. Tractatu cap. 5.

## LAPIDIS PHILOSOPHICI. 45

Albides quoque Philosophus de superfluorum remotione sic dicit : Accipite res , (id est aquas vivas) à mineris suis , & sublimiate eas ad altiora loca sua , & mittite eas à cacumine montium suorum , & reducite eas ad radices suas.

Item Hermes : Suaviter cum magno ingenio ascendit à Terra in Cælum , iterumque descendit in terram , & recipiet vim superiorem sublimando , & inferiorem descendaendo : hoc est ut Corporeum fiat spirituale sublimando , & quod est spirituale fiat corporeum descendendo. Item Marlinus nostras :

*Et si quid videas paulatim tendere sursum  
Igne superposito facias descendere rursum.*

Item Oziamebe hâc de re loquens sic inquit : Frange vitrum & extrahe Lapidem , ac pone ipsum in vase vitro five Boccea & extrahe oleum & invenies hoc quod Philosophi nobis tradiderunt.

Arnoldus quoque in novo lumine , hujus rei mentionem faciens , sic dicit : Durante Brunite Magister meus fregit Vas & Lapidem , & inspexit eum intus & extra , & invenit Brunum extra ; Intus autem erat adhuc nigredo . Qui habet aures audiendi audiat. Item Nortonus nostras :

*You must work with good advice  
When you see Earth above water rise ,  
For as water beareth Earth, which wee go on  
So will it doe in working of our Stone.  
Where fore well springs with stroakes soft  
Soberly make yee must in times oft.*

Item

46 VERA CONFECTIO

Item Ripleus nostras dicit, dum turbabitur Terra, transcurrentur Montes in Cor maris.

DE NUMERO autem remotionis atque purificationis superfluorum Daſtinus nostras in Rosario suo sic dicit: Imbibite vel cibrate res, (i.e. Sulphura) cribro Sphærico septies abluentis nigredines, & omnia fiant una aqua limpida & clara: & quoties imbibuntur, toties per vices desiccentur.

*Barſenetes* in Turba idem testatur, dicens: Et aqua septies imponitur ei, donec totum bibat humorem, & recipiat vim imminentem adversus pugnam ignis, & tunc Rubigo nuncupatur.

Item *Herizerem* Philosophus in sua Monade, Extrahite, inquit, & terite donec ab omni foetore, & aquosa humiditate, & nigredine adustiva per septem vices abluatur; Coquite demum donec desiccatur, & in terram vertatur aridam, & ne Arcanum fumiget & fugiat, cavete.

Item Cerus in Turba: Imbibite igitur Lapidem septies & abluite donec diruatur, & donec universum corpus ab omni mundetur coinquatione & terra fiat.

Item *Aſſiduus* Philosophus: Aes nostrum Corpus habet Hydropicum ut *Naaman* Syrus, leprosum, propter quod querit lavacrum regenerationis septies in Jordane, ut ab innatis passionibus & corruptionibus emundetur. Et ita sunt in summa septem decoctiones, scil. quatuor in Hyeme,

*Hyeme, & postea tres in Vire, quæ assignantur per sept. & Aſſturas.*

Hec est tamen dicit: Humeestate & conterite pluribus diebus, & hoc novem vicibus solvere & coagulare præcepit, quæ per novem Aquilas designantur. Et in qualibet solutione & coagulatione augebitur ejus effectus. Hoc idem testantur & alii antiquissimi Philosophi (nempe de novem vicibus) quos imitandos securius existimo, licet post septimam vicem, secundum Neotericos Philosophos, qui etiam veritatem doverunt. Materia Lapidis est ad plenum pura, sublimata, mundificata & dealbata. Et tunc vocatur Aqua perpetua, Aqua Perennis & Aqua Vitæ, vocatur etiam Aqua Fœtida, quia fert fœtum. Unde Marlinus:

*Omnia cert secum qua indiget hæc Aqua fœtum.*  
Notabis quod verus harum sententiarum sensus de superfluorum remotione, est, ut intelligamus quod Nebulæ illæ quæ supra Acetum elevatæ fuerint, uno aut alio modo ad fundum sunt propellendæ; & hoc in singulis nubeculis, quæ elevantur, fieri debet, donec apparer ipsas mundatas & purgatas esse. Arſecanus Philoſophus ut ostenderet quomodo nebulae illæ removantur, sic dicit: Vade ad Mulierem lavantem Pannos; tu fac ſimiliter. *Auro confar-*  
*gen.* p. 244

Præterea intellige quod omnes istæ nebulae suos habent modos quos præterire non possunt;

*Opor-*

Oportet igitur peritum Artificem antequam praxim aggrediatur, particularia exhalationum tempora & quamdiu singulæ nubeculæ perseverant cognoscere; & quod in hoc Tractatu facile patebit, aliter evolabunt certissimè.

Notandum etiam est, quod Aqua, aqua divina, aqua elevata, aqua evocata, Aqua nubis, Aqua mundi, Aqua sulphurea, Aqua venenosa, Aqua auri, Aquila, Argentum vivum, Azoch, Baculum, Baculum ferreum, Cain, Carbo, Capitellum Alembici, Caput Corvi, Chylus, Corruptio, Corona vincens, Cortex Maris, cortex niger, Colla auri, Coopertorium vasis, Deunech, Deunech viride, Eudica, Echel, Fæx, fæx ventris, fæx vitri, Fimus, fimus equinus, Flos, flos æris, fumus, fumus igneus, Homo altus, Homo galeatus, Humidum igneum, igneum venenum, Ignis, ignis alienus, Ignis carbonum, ignis fimi, Ignis *innaturalis*, ignis putrefactionis, Lapis, Lapis viridis, Liquefactio, Leo viridis, Iutum Magisterii, Magnesia nigra, Melancholia, Menstruum fœtens, Mortui immunditia, Naphtha, Nigredo, niger Cinis, Nigredo noctis, Nigrum nigrius nigro, nox, Nubes, nummus, Oleum, Oleum Saturni, Oleum sulphuris, Pala ferrea, pellicula, Pinguedo, Plumbum, Plumbum nigrum, Pulvis, pulvis Niger, Putrefactio, Res, res vilis, res vilis pretii, Ros, ros cœlestis, Sanguis, sanguis humanus, Sigillum, sigillum Hermetis, Spiritus, Spiritus dige-

digestus, Spiritus fœtens, Spiritus sublimatus, spatula ferrea sive Lapidea, Sputum, *Sputum Lune*, Sublimatum, Succus, Sudor, Sudor Solis, Tartarum, Tartar, Terra, Terra nigra, Terra sulphurea, Tenebræ, tenebrosa vestis, Tinctura, Vapor, Ventus, Ventus Ventris, Velum, Vipera Vomitus & superfluum utilissimum idem significant.

Item Notetis, quod hoc superfluum utilissimum primò est grossum, immundum & fugitivum propter sulphur quod in meatibus Terræ sibi occurrit & immixtum est. Sed operatione Artis, quæ fit per sublimationem & distillationem sæpius repetitam, renovatur, mundatur, depuratur, decoquitur, inspissatur, ac in sulphur album & rubeum (Natu Dei) coagulatur.

Et quemadmodum superfluum utilissimum removetur, & mundatur, ita etiam quicquid in *Arcano Nostro* est grossum, nocuum & superfluum per antedictas operationes & decoctionem lentam, paulatim purgatur, conservatur, & subtiliatur.

### *De Arcano nostro Sermo.*

**P**RÆ omnibus notandum est, quod si Arcanum nostrum non habeat in se quod ipsum emendat, non prodest quicquam. Ob eam causam dixerunt Antiqui, illud quod emendatur unum esse, & diversæ naturæ non emendant, quod quidem verum est, quia una sola res

D

sibi

## 50 VERA CONFECTIO

sibi convenit, quam rem parcè regere oportet: Regendi namque ignorantia plurimos errare fecit. Nolite tamen pluralitatem rerum curare, nec ea quæ Philosophi in suis libris, & ænigmatibus posuerunt varia; una enim veritatis natura est, quam Naturales unum nominaverunt, in cuius ventre occultum inest. Quod quidem occultum vocitamus *Solem*, quem honoramus, quia sine eo Arcanum nostrum non emendantur. Et tamen iste Sol nec videtur nec scitur, nec sentitur nisi à Sapiente.

Notetis quod iste Sol, qui Arcanum nostrum emendat, per se solus non perficit Tincturam nostram, quia ad ipsam subtilitatem nondum pervenit ut tingat propter densitatem & grossitatem suam. Quare necessario requiritur ibi Luna, ut ipsum Solem subtiliet, rarum & volatilem faciat, & ejus impuritatem segreget: Luna itaque Mater & Ager est in quo seminari debet solare semen: Et hæc duo sc. Sol & Luna, semen & Ager, Pater & Mater, Sulphur & Mercurius, Agens & Patiens, si fuerint simul preparata, opus mirabile facient, quia in uno est illud quod aliud non habet; & unum emendat & meliorat aliud & unum adjutorio alterius emendatur & melioratur. Falsa ergo & vana est omnis Doctrina quæ docet opus cum uno Solo incipere & non cum duobus simul. Item notetis quod prædictus Sol in *Mercurium* versus, parvo tempore eadem manet formâ, cum Corruptio

LAPIDIS PHILOSOPHICI. § i  
ruptio unius est generatio alterius: Teste Philosopho primo de Generatione: & est impossibile materiam esse quæ non sit sub aliqua forma, primo Physicorum: unde destruetâ una formâ, immediate introducitur alia. Nam quando Agens destruxit mixtionem primam seu proportionem elementorum, quæ faciebat Arcanum nostrum esse sub prima forma mixtionis, statim introducit aliam. Et quæ forma est illa in proposito nostro? Certè Arcani nostri mixti corrupti, quod à Sapientibus hujus artis vocatur Chylus, Saturnus, Plumbum, Jupiter, ferrum vel Æs, propter nigredinem, & immundiciem eorum, à qua nigredine & immundicie mundari debent. Igitur Mundatio debet fieri ab ista nigredine & tenebris & ita sentiunt Sophi. Ægrotant enim ob tenebras extensas, sed cùm ipse Spiritus tenebrosus & pernitosus removetur, ita ut non appareat odor, neque color tenebrarum, tunc illuminantur Corpora cum Nigredo abest ab ipsis, quia induita sunt Spiritualitate & divinitate, & Medicina vita ingressa est in eis, & coniuncta sunt in amore omnia Elementa, & omnia facta sunt unum, in quo latet æternum; Et signata est Domus plena luminis & divinitatis. Hoc idem testatur Hermes cum dicit: Hoc, fili, noscas, quod nisi quis sciat deducere prægnationem, mortificare, generare, & species vivisicare, lumen inducere & mundicare, quousque igni purgentur, colo-

rentur, & à maculis ultimis mundificantur, vel  
à nigredine & Tenebris, nihil facit. Si autem  
quispiam hoc fecerit, inter mortales majoris  
dignitatis erit possessor, ut Reges eum vene-  
rentur.

At Dices: Quid est illud quod parit hanc  
nigredinem? Humiditas aquosa & adustiva.  
Unde *Radianus* in libro trium verborum dicit;  
Quod Humiditas adustiva est fumus aquosus,  
de quo dicitur: Humiditas aquosa & adustiva  
corruptit opus & tingit in nigredinem: verum  
Humiditas illa quæ parit nigredinem, impedit  
fumum Album, quo deficiente Aurum Archimiæ non fit: Morieno ita testante: Nisi fu-  
mus albus fuisset, Aurum Archimiæ non fu-  
set. Item de hoc Idem: Quod autem de fumo  
albo interrogâsti, scire convenit. Quod fumus  
albus est Spiritus & anima, illorum corporum,  
id est, Venarum, quorum animas, id est Me-  
talla, sive elementa extraximus, & iterum eas  
suis corporibus conjunximus. Ista ergo Anima  
Corpus suum ingressa dealbat ipsum, & mundat  
ab omni nigredine.

Cognitis igitur quæ debent mundari &  
etiam causa nigredinis & immunditiæ: videa-  
mus per quem modum ista fiat mundatio? Pro-  
cul dubio per ignem subtiliationis & per leviga-  
tiones & compressiones.

Jam viso qualiter sicut ista mundatio: Restat  
videre quando peracta est: Parmenides in Tur-  
ba

ba hoc docet : Scitote, inquit, quod si superficies dealbatur, intrinseca ejus dealbantur : Et si superficiem Corporis anima dealbaverit, intrinseca ejus dealbabuntur. Item Lucas: Argento autem vivo recte gubernato omne corpus dealbatur, & natura naturam convertit & disponit. Arcanum igitur acceptum à Domino æterno omnipotenti palam fieri (Indignis) non debere in arcans arcatorum legitur, propterea quod omnino metuendus sit Dominus. Accipite tamen in nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Materiam primam artis cum Aëre & Igne unâ conjunctis, & extrahite per Ignem subtiliationis ex Aludel in *Caraha* fumum album ab ipsis, & summâ cum Diligentia custodite ne evolet & pereat.

Sed dices quomodo extrahitur sive generatur iste Fumus Albus? Certe per putrefactionem & mundificationem : Primo enim Materia corrumpitur, fitque per calorem ignis separatio unius sumi adustivi, qui tingit in nigredinem ab ipso fumo albo, qui erat ante mixtus sibi in Prima Materia, sub una Massa tamen, & ita recipit unam mundationem per Ignem, nam & alteram postmodum recipit per Artificium nostrum, scil. per calcinationem, sublimationem, subtiliationem, Distillationem, Triturationem, &c.

Jam visâ extractione illius sumi albi, qui sit per separationem sumi adustivi ab eo, in putre-

54 VERA CONFECTIO  
factione & mundificatione : videamus quid  
tunc restat agendum.

Hermes dicit , cum sumus ille fuerit mundus  
& albus, tunc erit aptus conjungi cum sua ani-  
ma, aliter non. Unde inquit Morienus : Si  
quis animam , id est , Argentum vel aurum Dei  
à visceribus terræ , id est Corporis nostri trans-  
mutatoris extraxerit , & cum sursum ascendere,  
id est in Argento vivo mundato ab Argento vi-  
vo ingredi fecerit , & ab ea omnem nigredinem  
& fetorem malum cum aqua etiam calida  
abluerit & dealbaverit , & postea cum sub cor-  
pore , id est , oleo vitri ( prius tamen sublima-  
to & dealbato ) conjunxerit , ac demum per lo-  
ci mutationem mortificaverit , maxima mirabi-  
lia videbit in Mundo.

Sciendum est item : Quod in Arcano no-  
stro , sicut in unoquoque Corpore sunt tres  
Dimensiones , scil . Altitudo , Latitudo & Pro-  
funditas , Teste Philosopho primo Cœli .

*Altitudo* nostri Lapidis omni tempore & in  
omni opere est id Corporis quod manifestè  
apparet , nostroque Visui primò subjacet . Exem-  
pli gratiâ : Corpus nostræ Artis in primâ sua  
dispositione per putrefactionem est nigrum ; &  
ita apparet nostro visui , & diciuntus ipsum frigi-  
dum & humidum , ut est . *Rediano* sic afferente:  
Iapis noster in prima sua dispositione est frigidus  
& humidus , quia est aquaticus , & aqua est frigi-  
da & humida , & humida aqua fluit . Ideo juro  
per

LAPIDIS PHILOSOPHICI. 55  
per Deum Cælorum quod verum est; Et talis  
dispositio dicitur Corporis Altitudo, sive ma-  
nifestum.

Notetis quod *omne manifestum* (sunt autem in  
rostro Corpore plurima) *suo oculo est Contrar-  
ium.*

*Latitudo* verò nostri Lepidis est *illa dispositio*  
*per quam itur ad Profundum*, quæ nostra medici-  
na est. Et est vita Altitudinis ac profunditatis,  
tanquam medium inter duo extrema sive con-  
traria, per quod in extremum pervenitur. Et  
de hoc asseritur, quod *Impossibile est Transitus de  
extremo in extremum sine Medio*. Teste Philoso-  
pho sexto Physicorum: Superius enim dictum  
est; Quod Lapis noster in ejus Altitudine est  
frigidæ & humidæ complexionis, quam si vo-  
lunus facere transire ad Medicinam dispositi-  
vam, necesse est quod altera qualitas destrua-  
tur in eo. Destruitur autem per Calcinationem,  
vad frigidum & humidum per calcinationem  
inspissatur, & ejus humiditas vertitur in siccita-  
tem, & sic fit transitus ad Medicinam dispositi-  
vam, quæ est caliditas & siccitas, quæ dicitur  
Latitudo.

Natura tamen à Frigido & Humido frigiditatem,  
& à calido & sicco siccitatem recipit, &  
sit Terra: Postea vero per calorem excessivum, si  
qua humiditas remansit in Lapide, sit Transi-  
tus ad contrariam, destruendo frigiditatem,  
& introducendo Caliditatem, quæ dispositio-

dicitur Profundum , sive Lapidis occultum . Et hoc optime patet in libro perfecti Magisterii in particula illâ Ferrum , id est , Sulphur.

Rubeum in altitudine suâ est Calidum , sic-  
cum , igneum , Cholericum , Rubeum , Acu-  
tum , Odoriferum , Masculinum .

Ex prædictis itaque videre poteris , Qualiter  
Lapis noster benè dispositus transubstantiatur  
de Dispositione in dispositionem , donec for-  
mam Auri activi perfectæ Tincturæ assumat .

Præterea notandum est , quod major Pars  
Sapientum in hoc corpore rubeo incipit loqui ,  
ut *Alphidius de Minerâ* , qui dicit Sulphur Ru-  
beum . Et secundum Lucam , Masculinum cum  
dicit Accipite Marthę & dealbate eum , &c .  
Masculum enim promulgavit : & plures alios  
Sapientes possumus adducere in eandem sen-  
tentiam , quos in præsentia omittimus brevita-  
tis gratiâ . Ratio autem quare Omnes ferè ini-  
tium sumpserunt in isto Corpore Rubeo , est ,  
quia istud Corpus rubeum est principium to-  
tius Tincturæ , nec fit Tinctura vera sine eo .  
Unde Rosinus inquit , Scitote quod non fuit  
aliquis , qui in hâc arte verbum dixerit omni  
velamine denudatum præter Hermetem . Is  
enim dicit : Scitote quod non fit tinctura un-  
quam nisi ex rubeo Lapide , id est , Auro no-  
stro cum Argento vivo insimul rubificatis .  
Item Geber de essentia , id est substantia Auri  
dicit , Aurum creatum est ex subtilissima Ar-  
genti

genti vivi substantia, & ex modica substantia Sulphuris (metallici) mundi, & puræ rubedinis, fixi, clari, & à naturâ sua mundati, tingentis illam substantiam, id est, Argentum vivum.

Notetis quod hoc Corpus rubeum plurima habet nomina. Vocatur Acidum, Acutum, Adam, Aduma, Almagra, Altum, Alzernard, Anima, Aries, Aurum, Aurum vivum, Aurum alteratum, Cancer, Cacimia, Camereth, Colera, Chibur, Cinis, cinis Tartari, Corsufle, Corpus, Corpus proprium, Corpus rubeum, Dextera, Deeb, Dchab, Æstas, Fex, Ferrum, Forma, forma Viri, frater, fructus, Gallus, Gabrius, Gophrith, Granus Ethieps, Gumma, Gumma rubea, Hageralzarnad, Homo, Ignis, Ignis Naturæ, Infinitum, Juventus, Hebrit, Lapis, Lapis Indus, Lapis indrademus, Lapis Lazuli, Lapis rubeus, Lytargyrium rubeum, Lux, Mane, Mars, Marthek, Masculus, Magnesia rubea, Metros, Minera, Neusi, Nutus, Oleum Martis, Oleum incombustibile, Oleum rubeum, Oliva, Oliva perpetua, Oriens, Pater, pars una, Petra stellata, Phison, Rex, Reezon, Residentia, Rubedo, Rubinus, Sal, Sal rubeum, Semen, Sericon Sol, Subsolanus, Sulphur, Sulphur rubeum, Sulphur vivum, Tamue, Tertius, Tertius decimus, Terra rubea, Theriaca, Thelima, Thion, Thita, Toarch, Vau, Vena, vini, Virago, Vitellus, Vitriolum rubeum, vitrum, Zaaph, Zahau, Zit, Zumech, Zumelazuli,

zuli; Et etiam multis aliis nominibus à Philosophis nominatur. Quæ quidem nomina non sunt ei Attributa, secundum unam rationem seu proportionem. Nam Sapientes qui vocaverunt illud Acidum, Acutum, Adam, Æstatem, Almagra, Altum, Animam, Arietem, Auru, Cancrum, Camcreth, Choleram, Cinerem Tartari, Corpus proprium, Corsus, Deeb, Dehab, Formam, Fratrem, Fructum, Gallum, Gophrith Hominem, Juventutem, Kibrit, Lapidem Indradenum, Lucem, Manc, Martem, Marthek, Masculum Metron, Mineram, Neufin, Nutum, Olivam, Orientem, Patrem, Reczon, Sal urinæ, Solem, Tertium, Thion, Vimum, vitrum & Zaaph, dixerunt hoc propter suam alteratam complexionem: nam omnia hæc sunt calidæ & siccæ Complexionis cum alterantur. Qui verò nuncupaverunt ipsum Aduma, Corpus rubeum, Gummam rubeam, Lapidem rubeum, Magnesiam rubeam, oleum rubeum, Rubedinem, Rubinum, Sericon, Sulphur rubeum, Terram rubeam, Vitellum, Vitriolum rubeum, propter colorem rubeum hoc dixerunt. Qui vero nominaverunt ipsum Ferrum, Oleum incombustibile, Oleum Martis propter impotentiam Fusionis, id est dure hoc dixerunt: Nam cum hoc corpus rubeum per decoctionem privatum sit humiditate superflua, quæ faciebat ipsum fluere, & necesse est corpus siccum non fluere, ideo vocaverunt id

Fer-

Ferrum; quia præ aliis metallis Ferrum dicitur maxime fixum. Sic etiam istud Corpus rubrum per Privationem superfluæ humiditatis, quæ faciebat ipsum primò volatile; modo est necesse ut remaneat fixum. Nam omnia Corpora volatilia figuntur per talem privationem humiditatis, quæ vocata fuit Calcinatio à multis Sapientibus. Unde inquit Geber: Calcinatio est rci per Ignem purificatio seu Pulverizatio ex privatione humiditates partes consolidantis & fluere facientis. Et causa inventionis Calcinationis Volatilium est, ut ibi magis ac melius densetur Terra, terra residua in corpus rubeum conversa. Item Geber de hoc corpore rubeo, id est Auro dicit: Aurum est pretiosissima metallorum forma, & est tinctura rubedinis, quia tingit, transformat, & illuminat omne Corpus, quoniam Alumen est, & tinctura vera, & perfectio totius operis divini, quod Deus specialiter largitur tantum Electis, Unctis, rerumque Dominis, ac Sapientibus. & Viris dignis, liberalibus & gratis: Cui sit Honor, Laus & Gloria.

*Alia trium Dimensionum Explanatio.*

UT melius tres dimensiones intelligatis, alii Philosophi in hunc modum exponunt. Extremitas nostri Lapidis ex uno Latere est Mercurius: Ex alio Latere Elixir completum. Media verò sunt Corpora, seu metalla imperfecta, quorum alia alijs sunt magis depurata, decocta

decocta & digesta. Duæ itaque sunt summæ extremitates in Lapide nostro , Nimia , scil . Cruditas , & nimis exquisita Decoctio .

Horum Media ut supra dictum est , sunt **Corpora Imperfecta** seu ægra , quæ poteris conservare & restituere ad sanitatem , & eorum ægritudines omnes omnino mortificare , si scias ea reducere de Potentia in Actum ; & jungere & disjungere flores Arboris & frondes per solutionem & congelationem .

*De Corporibus imperfectis , & eorum preparationibus.*

**P**rimò pro Corollario dico , quod Natura in Principio suæ Originis intendit facere corpora perfecta , sed non potest propter Vencrem , corruptum Argentum vivum commistum , vel propter terram fœtidam . Quare sicut Puer Matris suæ ex Corruptione Matricis contrahit infirmitatem & corruptionem causa loci per accidens , quamvis sperma fuerit mundum , tamen Puer fit Leprosus & immundus causa Matricis corruptæ . Et sic est de omnibus imperfectis Corporibus quæ corrumpuntur ex Venere & Terra fœtida . Documentum hujus rei est , quod ex Mercurio & Vencre generantur omnia Corpora .

Corpora imperfecta dicuntur Media , & sunt Abortiva , quæ terminum suæ perfectionis non habent , sicut illi qui nati sunt & nascuntur in locis menstruosis , indigestis & Corruptis , pa-

tien-

tientibus infirmitatem Lepræ in suis Corporib⁹. Differunt tamen inter se, secundūm magorem aut minorem distantiam unius ab altero, quod in nativitatibus eorum suscipiunt, tam per naturam quam per artem.

Postquam igitur imperfecta Corpora à sua spissitudine extrahantur, & in tenuem Spiritum impalpibilem convertantur, possunt præparari, subtiliari, depurari, & meliorari (igne semper debito operante) per hos modos sequentes.

Corpora imperfecta, cujuscunque generis sunt, humiditates habent extraneas, & sulphurietatem adustibilem, nigredinem in ipsis admiscendis generantem, ipsa Corpora corruptilētē. Habent etiam Terrestrietatem immundam, foeculentam & combustibilem, nimis grossam, ingressiōnem & fusionem impeditem. Ista & talia sunt extranea, sive superflua in his Corporibus prædictis. Et quia hæc extranea accidentaliter his superveniunt Corporibus, & non radicaliter, ergo & Spoliatio Accidentium, (ut dicit Ḡber) possibilis est. Oportet ergo nos his prædictis mundandis, cum Igne nostro Artificiali extranea accidentia demere. Cuncta, Sola Argenti vivi & Sulphuris Radicallis substantia permanente. Et hæc est integra imperfectorum præparatio, & depuratio perfecta, & subtilatio eorum, vel nostræ substantiæ pure remanentis.

Alius præparationis modus in Generali hic est.

## 62. VERA CONFECTIO

est. Primo elevanda est cum igne proportionali tota humiditas extranea & corrupta in illorum cibentia , etiamque superfluitas subtilis & combusturens , & hoc calcinando. Deinde tota substantia remanens corrupta in illorum Calce extranea humiditatis comburentis & nigredinis , corrodenda est cum Aqua & Igne , donec Calx fuerit alba, munda , & pura ab omni corruptione prænarratâ.

Amen , Amen dico tibi : Quod nisi Corpora imperfecta prius rectificantur per reiterationes reductionis ad fœces & distillationes, nullam habent ad tingendum efficaciam. In omnibus igitur tam solvendis quam figendis , perficiendisque , tenendus est modus , eò quod intentio debito modo rem ornet , & compleat, scil. quod Corpora imperfecta calcinentur debitè , laverentur subtiliter , & mollificantur , imbibantur sive terentur, fœcundentur , & ad solutionem modo debito ponantur , donec Artifex viderit Materia perfectè sine Macula purificatam. Quæ quidem Materia purificata est , Sulphur de Sulfure , ex Corporibus imperfectis extracta & subtiliata , quæ potest meliorari , fortificando in ipsa virtutes elementales præparatas , & augmentando Calorem , Fixionem , Pondus , Puritatem , Fusionem & omnia quæ pertinent ad Elixir Completum.

Addit.

*Additiones.*

**C**orpora imperfecta medio loco se habent ad Mercurium præparatum, & Mercurium corporum perfectorum, sed præparandi Ars difficillima est, Praxis præparationis corporum imperfectorum. Si per ea quæ in hoc libro revelavimus non intelligitur, nunquam aliorum librorum lectione addiscitur.

Corpora imperfecta unâ cum Luna sunt immatura, & ideo ipsis immaturis succurrentum est cum maturo, ut maturentur.

Corpora imperfecta nullâ Arte perfectionem induunt, nisi prius à fæculento Sulphure, & Crassitie terrestri repurgentur.

Corpora imperfecta una cum Luna perfectione donantur & in purum Solem convertuntur. Si prius in Mercurium reducta fuerint: Et hoc Sulphure albo vel rubeo, virtute ignis appropriati.

Omne Corpus in perfectum ad perfectionem deducitur, reductione in Mercurium, postea decoquendo cum Sulphuribus in igne appropriato: Nam ex ipsis generantur Argentum & Aurum, & illi hallucinantur, & in vanum laborant qui alio modo Argentum & Aurum facere nituntur.

Impossibile prorsus est Aurum & Argentum facere imperfectorum Corporum Sulphure: Quælibet enim res nihil amplius præstare potest;

potest, præter id quod in se est, & continet.

Imperfecta reddere perfecta & fixa, absque perfectorum Corporum Spiritu & Sulphure omnino est Impossibile; Unde Arficanus Philosophus: Tinctura tribuens imperfectis perfectionem, ex Solis & Lunæ fonte emanat.

Ex his Additionibus manifestè patet quod Corpora imperfecta quæ non convenient cum perfectis ex parte Mercurii maturi, Aurum & Argentum facere non possunt, neque perfectè tingere, neque naturam Auri vel Argenti infundere, quoniam à nullis rebus elici potest id quod in ipsis non existit. Quælibet enim res habet suam propriam Materialem ex qua facta est. Hinc Dastinus: Ex quolibet non fit quodlibet sed determinatum fit ex determinato; quia nulla fit generatio vera nisi ex Convenientibus in natura: Ergo omnis species in sua specie, & omne genus in suo genere, & omnis natura in sua natura naturaliter virtutis suæ efficit effectum, & fructum adfert juxta naturam suam & non in alia natura sibi contraria, cum omne feminatum suo simili corresponeat. Hoc dicimus quoad generationem. Non enim generatur ab homine, nisi Homo, nec ab aliquo tali nisi simile sibi. Ideoque non est tingendum cum imperfectis Corporibus, sed cum illis quibus inest virtus tingendi. Tinge ergo cum Corporibus perfectis, scil. cum Auro & Argento, quia aurum aureum & argentum argenteum tribuit

LAPIDIS PHILOSOPHICI. 65

buit colorem & Naturam. Unde Arnoldus: Qui Mercurium cum Sole & Luna tingere novit, ad Arcanum venit, quod dicitur Elixir compleatum. Hæc prima (Medicinae primi Ordinis) descriptio, licet admodum brevis sit, multas tamen Philosophorum sententias, multaque alia (intellectu difficultia) aperit, & etiam ostendit quid ipsa Medicina sit: A quibus incipit; & ad quem finem tendit. Quæ quidem Medicina à Gebero vocatur Opus longum scil. 156. in Putrefactione & mortificatione: Et in Regeneratione & vivificatione 96. Scias hoc quia est magnum Secretum.

Sed quia hæc Ars valde difficilis est intelligi, de Secretis ipsius, scil. de Mercurio & Aqua nostra, de Corpore, Spiritu & Anima, & de eorum operationibus pauca filiis Doctrinæ intendimus revelare: Est enim Aqua nostra, Aqua, quæ & non aliâ uti debemus in tota operatione nostrâ, eo quod omnia ex illa aquâ creata sunt. Hanc aquam Deus divisit cum dixit; & præcepit aquæ partem in ariditatem, & illam vocavit Terram, & Aquam non conservam pro terra conservavit Irrigandam atque humectandam, quia terra siccâ non fructificat nisi aqua sua pluviali de sursum humectetur saepius. Hæc etiam Aqua est illa de qua Avicenna in Tractatulo suo hæc verba habet. Sola Aqua per seipsam omnia facit, omnia solvit, omnia congelat, omnia diruit, sine alicujus admini-

culo. Item de hac Aqua loquitur Johannes Dastinus nostras in Rosario suo dicens, Aqua nostra dividenda est in duas partes, quarum una parte corpus congelatur, scil. (cum septem Imbibitionibus & congelationibus:) Altera vero parte putrefacit, & liquat (ut Aqua ignea acuata evomatur.)

*Alia Medicinae primi ordinis Descriptio.*

**I**N præparatione nostræ admirabilis mixtio-  
nis, seu maximi Arcani, oportet nos sequi  
naturam: Nam ut ait Gever: Ipsa per se agit.  
Nos ergo oportet tria scire, nempe, Quid sit  
Natura: Quot sunt Naturæ, & Qualiter Na-  
tura operatur.

Secundum Aristotelem II. Physicæ consul-  
tationis Natura sic definitur: Natura est prin-  
cipium & causa movendi & quiescendi in illo  
in quo est pri: nō & per se; & non secundum  
accidens. Item secundūm Authorem perfecti  
Magisterii: Naturæ (aut si tu mavis dicere  
Complexiones primarum qualitatum) sunt  
quatuor, scil. Caliditas & siccitas ut in Igne;  
Caliditas & humiditas ut in Aëre: Humiditas &  
Frigiditas ut in Aqua; Frigiditas & siccitas ut in  
Terra: Omnes autem istæ complexiones in-  
quales sunt, nec est ulla istarum quam queri-  
mus nam nos querimus æquale. De quo dicit  
Joannitus, quod æqualis mixtio est una, quando  
cum moderamine incolume dicitur Corpus.

No-

Notabis ergo quòd dicit cum Moderamine, scil. prædictarum naturarum seu qualitatum, id est, Caliditatis, frigiditatis & siccitatis. Nam quando aliqua istarum naturarum aliam non excedit, tunc Corpus dicitur temperatum & æquale, quia tantum est de una, quantum de alia, secundum debitam proportionem qualitatum ad esse Corporis requisitarum.

Item notetis quod incolume dicitur sanum, remotum, calcinatum, separatum, purificatum, dispositum, siccum & mundum ab omni causa Corruptionis. Et secundùm Geberum, Stannum est plumbum album purissimum, & est in eo æqualitas fixionis vel spissitudinis duorum Componentium, Argenti vivi sc. & Sulphuris (metallici) non autem æqualitas quantum in prima mixtione Argenti vivi, id est, quantitate sed qualitate. Propterea quod Sulphur non excedit Argentum vivum in Agendo, nec contra Argentum vivum excedit idem Sulphur in plus patiendo, quoniam æqua proportio est mensurarum in plumbo albo. Item Hermes dicit, Filii Sapientum, Metalla sunt sex (non enim est Argentum vivum Metallum sed Materia metallorum) quorum Princeps est Aurum, eorum optimus Rex & Caput: cum Aurum ipsum inannihilabile omni superfluitate carens, perfectissimum omnino, ac terminatissimum sit omnium aliorum metallorum adulstibulum, & substantia jubilans ac subsistens in

Igne , quæ nec à Cæmento corrumpitur , nec à re qualibet comburente comburitur , nec ab aqua colorificante viridi , aut dividente , mortificatur vel devoratur , cò quod complexio ejus est temperata & terminata , & Natura directa in caliditate , humiditate , frigiditate & siccitate : Quid ergo in Auro superfluum est vel diminutum ? Certe Nihil ; quod si inesset (quod protinus negatur) diminutio substantiæ vel superfluitas . Ut est in Plumbo & cæteris aliis adustilibus metallis (quorum naturales mixtiones maximam retincent adustibilem superfluitatem ) maximura sequeretur inconveniens omni velamine denudatum , quod scil . per vi-ces totum detrahi , & annihilari posset , quod est absurdum dicere , & in facto yeraciter falsum , quia Aurum evaporare non debet , prout non potest , quemadmodum cæteris aliis adustilibus accidit metallis : Immo hoc Phanta-sma absit à mente Philosophantium , quod au-rum aliquo pacto possit annihilari . Et ideo Sa-pientes prætulerunt ipsum , & magnificaverunt & dixerunt quod sic se habet Aurum in Metal-lis , quemadmodum Sol in stellis . Suo enim lumine & splendore omnia commutabilia ger-minat & omnes fructus persicit Nutu Dei . Quid plura ? Si ad hoc pervenire possimus , habemus proportionatum fere totum juxta So-cratem dicentem . Jam Plumbi albi dispositio-nem vobis demonstravi , quo genito , nihil aliud

aliud est Magisterium , quām opus Mulierum & Iudis Puerorum.

Cognitio igitur : Quid sit Natura per Philosophum , & quotuplex per Authorem perfecti Magisterii : Restat videre quo modo operatur Natura.

Operatur autem Natura multifariam , sed potissimum per mixtionem , quam Sapientes variis appellaverunt vocabulis , scil. Ingressionem , summersionem , conjunctionem , connexionem , complexionem , compositionem & mixtionem idem significantibus : Nihil enim ingreditur , summergebitur , conjungitur , connectitur , complectitur , componitur quām quod miscetur . Videamus ergo quid sit Mixtio , quia ipsa per definitionem cognita , omnia alia cognoscuntur . Secundum Philosophum (primo de Generatione) mixtio est miscibilium alteratorum per minima Conjunctorum unio .

Notabis miscibilem , id est Elementorum , nam ipsa sunt prima principia uniuscujusque mixti , nec ipsius mixti manifestam nec occultam possumus scire naturam , nisi sciamus ipsa Elementa commiscere seu componere . Unde Hermes , Intellige , fili , quatuor Elementorum scientiam , quæ suis posita sunt rationibus in sua abscondita apparitione . Eorum enim abscondita apparitio nequaquam exponitur sive significatur nisi componantur , eò quod non persciuntur , donec suis coloribus colorentur .

Notabis etiam per minima, id est, per indivisibilia, nam si quid possit dividii non esset minimum, cum omnis pars minor sit suo toto. Apparet ergo quod per minima, id est, indivisibilia sit mixtio Elementorum. Et quod Elementum sit minimum corporum apparentium patet per definitionem ejus. Elementum enim minima Corporis particula est.

Ad hoc autem ut miscibilia misceantur, requiritur prævia dispositio, quæ non fit nisi per motum in omni actione, nedum mixtione necessarium.

Motus autem (vel mutatio) dicitur (secundum Aristotlem in Categoriis) sextuplex: scil. **Corruptio**, **Generatio**, **Augmentatio**, **Diminutio**, quam fixionem vocamus, **Alteratio**, & **Loci mutatio**. Sed aliis in præsentia omissionis, Corruptionem tantum eligamus, nec eam quidem omni ex parte, nam multas in se species habet; sed ex his, unam, (quæ Putrefactio dicitur) ad propositum facientem, discutiemus.

Natura itaque quæ nunquam otiatur, omnipario motu operando utitur. In primis tamen omnium corruptione. Corruptio vero hic & Putrefactio æquipollent significato. De hâc itaque in Allegoria sua *Hermes* sic dicit: Scitote quod Artificii Origo est Caput Corvi, qui in nigredine noctis, & in claritate diei sine alis volat, & amaritudine nostra in suo sanguine excunte Coloratio accipitur, & mera Aqua à suo Dorso. Non est

LAPIDIS PHILOSOPHICI. 71  
est ergo aliud Caput Corvi , nisi nigredo noctis , quia sicut ista sunt nigra & obscura respectu Dici : Sic Spiritus corruptus respectu Spiritus Mundi , qui ex corruptione oritur , & per nostrum Artificium extrahitur.

Notabis de Corruptione , quia Naturæ operibus est Corruptio rerum , sed non dissipatio partium , nisi fuerint partes superfluæ , & inutilis generationi abjiciendæ , unde Artifex præparat seu depurat opus , ut operatio & digestio melius ac clarius contingat . Exemplum patet in Granis : Nam duorum granorum tritici , si unum in terram bonam projiciatur , ibi putrefit & moritur , & exteriorem amittit formam , & nihil inde dissipatur , immo tempore suo crescit ad multitudinem fructus : Et ita dicitur , & tantum Corruptio formæ & non dissipatio Materiæ : Unde Dominus in Evangelio similitudinariè loquitur de Vegetabilibus , Granum , inquit , cadens in terra , ni moriatur , Solum esse mansurum (& infructuosum) mortuum vero fieri fertile . Sed si aliud granum in Ignem projiciatur , tunc corrumpitur , & in materia & in forma , totumque dissipatur , & illa corruptio inutilis est generationi . Quare in opere Naturæ Materiæ corrumpitur alterative & non dissipativa ; & ista alterativa Corruptio formas abscondit , naturas absolvit , proportiones custodit , & colorcs alterat ab initio ad finem .

Visis ergo modis operandi, & per quem modum potissimum operatur natura, accedamus ad reliqua.

Quoniam autem (secundum *Hermetem*) in una quaque re corruptibili tria sunt consideranda. Primum, quod est utile, Aqua; secundum, Oleum; tertium, Fæx: tamen nullum istorum habet esse distinctum in nostro admirabili mixto corrupto, sed confusum & indivisum. Quod quidem mixtum ab aliquibus vocatur Hyle; unde dicitur Deus creavit primo Cælos & Terram; Deus, id est, Artifex; creavit, id est, miscuit, primo Cælos id est Rarum, & Terram, id est Densum: quos Cælos ad propositum facientes, vocamus sublimationem, Terram autem mixtum nigrum, & ex limo istius terræ plasmavit, id est, multiplicavit Adam, id est, Aurum; & cum Adam viraginem, id est, Tincturam; Corpus nostrum quæsitum à multis, inventum à paucis, in quo tamen sunt aliquæ Essentiæ Corruptionis, quæ prohibentur. Unde inquit Alphidius: Scito, Fili, quòd in Libro sit librorum perfectio, & certissimum est opus eis qui ratiocinantur. Jam ergo mandavi tibi quod proponis, id est, Adam, & prohibui ea quæ opus corrumpunt, id est, Virginem.

Idem dicit Rodianus cum Embrionem reducit. Notetis, Embrion. Embrion enim est Frustum Carnis seu Massa, ex qua natura for-

mat in Matrice fœtum , & disponit omnia membra sua: sic istud Corpus confusum est Massa , seu Lapis ex quo totum perficitur Magisterium. Item est materia ex quâ omnia Metalla ducunt Originem. Unde *Alphidius* : ut enucleatus intelligas me loquentem , volo ut scias de qua materia Metalla ducunt originem. Attende itaque. Aqua gravis & viscosa in visceribus terræ , non habens exitum foras , si propè fuit Sulphur metallicum ejus , excocta calore , convertitur in Argentum vivum. Et sic notetis quod aqua viscola & Sulphur Metallicum sunt materia generalis omnium Metallorum Argenti vivi. Hoc idem dicit Geber , cum definit Argentum vivum , dicens ; Argentum vivum est Aqua viscosa Sulphure metallico densata , in visceribus Terræ , substantiæ subtilis , albæ terræ , per Calorem temperatissimum unita totali unione per minima , quoisque humidum contemperetur à fisco , & siccum ab humido æqualiter. Notetis ergo Aquam viscosam & Essentiam albam , quam dicimus Materiam particularem Argenti , seu Plumbi albi. Item notetis per Calorem temperatissimum tanquam per Instrumentum perficiens ipsam. Item notetis modum perficiendi , cum dicit : Quousque humidum contemperetur à fisco. Item notetis æqualiter , quia in ipsa est æqualis mixtio omnium Elementorum Argenti vivi.

Præterea de hoc corpore confuso possumus

asserere, quod de Nutrimento Corporis humani à Medicis rectè proditur.

Primum enim est Massa Tyssanaria, ex qua generatur in stomacho Chylus, & ex hoc Chilo generantur in Hepate quatuor Humores, scil. Sanguis, Cholera, Phlegma & Melancholia. Postremo debita facta digestione; Corpus humanum nutritur, sustentatur & regitur. Hoc idem ipsi dicunt per alia verba. Nam Natura primo digerit in stomacho dealbando. Secundò in Hepate rubificando. Ultimò in membris subtiliando, conglutinando, perficiendoque. Tu vero, si haec (quæ diximus) tuis naviter accidit accommodaveris operationibus, facile, proculque dubio voti Compos evades.

Siccum ergo & humidum accipite, & in omnibus sive maximis sive minimis divinum implorare debere auxilium, ut à *Plutone* in *Ti-mæo* præceptum est, & fiat per corruptionem, generationem, augmentationem, fixionem, alterationem, triturationem, cum loci mutatione, unum Corpus vivum, seu aqua sicca. Haec Aqua sicca (immo mundatio ejus) est initium & Clavis Operum per *Alphidium* sic dicentem: Scito, Fili, quod Thesauri non evanescunt, verum intus servantur & absconduntur à suis oculis cum Domum ingredieris. Volo tamen tibi unam clavem tribuere, quam eorum signa voco; quod si rationem habes, residuas tres Claves scies, & extrahes tua scientia ex ea:

Por-

Porro hæc una clavis est aqua sicca, quæ fit per vas Sapientum, & modo Corruptionis. Per istam verò clavem incipit opus, & fit postmodum per ipsam extractio reliquarum trium Clavium, & cognoscuntur.

Notetis quod Aër, Arbor, Cheseph, Compar, Fœmina, forma Mulieris, Gallina, Lignum, Linea, Medium Cælum, Ovis Sanguis, septem smerata, unio Spirituum, & aqua sicca idem significant.

*Jam Visa* præparatione nostræ admirabilis mixtionis, seu Maximi Arcani, & etiam quid sit post præparationem; videamus ejus augmentationem, quæ fit ad modum augmenti Lunæ. Nam sicut per Aspectum Solis, Luna incipit illuminari, & postea omni die augmentatur ejus Lumen, quoisque tota fit illuminata: sic Aqua sicca prædicta incipit per simum rubificari, donec tota fuerit rubificata. Et hoc dicit *Hermes* in secreto suo, id est, Vitis Sapientum succus in 42 diebus extrahitur, ejus Vinum in fine 30 peragitur, de cætero ipsum diminuit, Trituratio vero augmentat, sicut Luna post 15 dies diminuitur, & post 30 augmentatur, quod est initium & finis.

Fit etiam hæc conjunctio ad modum Corporis & Animæ: Nam sicut Anima corpus ingrediens vivificat ipsum, sic aqua sicca animata Corpus suum. Unde inquit *Alphidius*, Proseguente, fugientibus obviante, utrisque fuga au-

aufertur & veritas sequitur, & Natura cœpit suum Comparein ut inimicum, & se ad invicem continuerunt & continent, quoniam Anima Corpus suum introivit (& rubificavit.)

Mixta igitur ac mundificata aqua si ca prædicta, ut augmentetur, iterum in mundo Aludel (nam aliud Vas non potest ignem sustinere) recipiatur, collocetur in furno generationis, ac detur ignis, ut totum illud in *Marthik*, id est, Vinum deveniat, absque aliqua terminatione ignis prætermissa, quia Motus debet esse continuus, (ut scitis) & non interruptus; Propterea mementote omnia necessaria quoisque totum perficiatur.

Jam de natura & ejus operatione pauca hæc prælibasse vobis sufficiat: In sequentibus latius quæ dicta sunt, & quæ restant dicemus.

*Aliæ Predictorum Explanatio.*

**U**T Tractatus iste nobis prospicit, atque plenè sufficiat: Et ut prædicta melius ac clarius intelligantur, scire convenit; Quod Argentum vivum, ex quo Lapis noster ducit originem, ex duobus componitur, scil. ex Corpore & Spiritu, Masculo & Fœmina, Maturo & immaturo, quod aperte docet Calib Philosphus, & rex Albaniæ dicens: Scitote quod in initio nostri operis non habemus negotium, nisi in duobus Solis, nec nisi duo videntur, nec tanguntur plura quam duo, nec intrant plura quam

quām duo in Magisterii nostri principio , me-  
dio , vel fine . Hoc idem testatur Hermes cum  
dicit , Pater ejus , id est primæ compositionis  
est Sol , Mater ejus Luna : In hanc sententiam  
loquitur *Moriens* dicendo ; Fiducia in duobus  
consistit : In humido ut solvat siccum , In siccо  
ut coagulet humidum : verum in istis duobus ,  
quatuor qualitates insunt virtualiter . In majo-  
ri namque spermate , velut in digniori ; duo  
digniora continentur Elementa per qualitates ,  
Ignis & Aér videlicet , In altero verò spermate  
naturā suā crudo & imperfecto , reliquæ duæ  
qualitates habentur , & alia duo minus digna  
Elementa , quæ sunt Terra & Aqua .

Constat ergo clare per Philosophos non nisi  
duo , quæ suprà commemoravimus esse neces-  
faria in opere nostro : veruntamen ex altero  
disjunctim nullum generari metallum potest ,  
sed ex amborum conjunctione , quorum am-  
borum unum auxiliatur alteri , unde resultet  
longè dignior materia quām erant per se scor-  
sum ante conjunctionem , & postquam con-  
junguntur fiunt unum Argentum vivum , uno-  
que nomine nominantur : unde Clangor Buc-  
cinæ . Quando sperma Mercurii jungitur cum  
terra corporis , Corpus solvitur in aquam sper-  
matis & fiunt unum .

Præterea in altero , scil . digniori & maturiori  
est Anima , quæ subtilissimo ingenio extrahen-  
da est , aliter nihil sit . Unde *Albertus Magnus* :

Nisi

## 78 VERA CONFECTIO

Nisi Anima corpus suum exierit, & in cælum sursum ascenderit, nihil proficies in hac arte. Item Arnoldus: Anima Corporis à Corpore educata, tingendi vim habet, quam committit Spiritui conservandum. Spiritus enim, id est, aqua Philosophorum, est locus sive Corpus Animæ, & prosector hic Spiritus non est vulgaris.

Cum igitur Anima extrahitur, corpori crudo vel immaturo conjungitur, & in eo occultatur, & tunc corpus alteratur & mutatur in aliam substantiam seu formam: Solutio enim exteriorem formam corrumpit, sed non corrumpit materiam.

Notetis ergo quod per Solutionem fit Corruptio exterioris formæ, nam anima cum corpore mixta cum incipit alterari, efficitur nigrum ut Carbo; unde *Hermes* in Allegoria sua inquit: Lapis noster inquisitus caret simili, & est Citrinus Aureus, extrinsecus & intrinsecus, cum autem mistum ejus alteratur, fit nigrum & tenebrosum ut Carbo. Spiritu autem ab eo ablato, color est rubeus: Spiritu item & animâ sibi redditis, vivit & lætatur, & vides eum ridentem & hilarem & morte carentem. Benedictus igitur sit ille, cuius dispositio sit hæc, qui mortificat & vivificat, & omnipotens est. Item *Hermes* in prænominato loco: Ego sum Album nigri: Et sic apparet, quod alteratio est à nigredine in Albedinem. Et ulterius ista alteratio, sive dissiccatio, sive dispositio conti-

nuē

neè facit conversionem in Caliditatis naturam , hoc est in rubedinem , quæ tamen provenit ex parva dealbatione. Hoc idem dicit Rosinus cum ait : Quod ars Martis non fit nisi ex Stan- no. Ex quibus potest intelligi , quòd unus est Dispositor nigri , albi , citrini , & rubei. Et hoc est quod dicit Alphilius : Scito , fili , quod in hujus Maris profundo Margaritæ diversorum colorum nascuntur , in quo Hyacinthus diver- si coloris ascendit , & colorat corpora , & etiam ipsum Martis per calorem suum. Cum enim fuerit calidum , erit Rubeum , cum vero frigidum fuerit , erit Album : Similiter erit Coloris & Candoris Solis & Lunæ : Et Rubeum est caliditas , & albedo est frigiditas : Intellige ergo & observa : Notetis quod rubedo est signum caliditatis , & albedo frigiditatis. Item notetis quòd hæc alteratio , sive dislicatio est tertia operatio Artis in Domo Martis , quòd est alte- rationis , Hermete sic asserente : Tertio Mensē operatur Mars agens in materiam , qui ex sua caliditate & siccitate dividit & sequestrat mas- sam ipsam & membra disponit.

Notabis Membra . Nam sicut in matrice Na- tura disponit membra ipsius Foetus tanquam partes integrales ipsius foetus : Sic & istud cor- pus rubeum , quod est Mars , est pars integra- lis confectionis totius Medicinæ. Nam in omni compositione quæ sit postquam istud corpus creatum sive terminatum est , cedit semper tan-

80      VERA CONFECTIO  
tanquam pars integralis totius Compositionis.

Præterea ut Enarratio nostra methodica ad-huc melius intelligatur Paracelsus Philosophus dicit: Certus quidam Mercurius in corpore latet ad extrahendum paratus absque alia præparatione: sed difficillima est ars extrahendi.

Comburite igitur vel terite Æs nostrum igne levi, donec Mercurius ille supradictus ex-trahitur in colore nigredinis, quod est signum solutionis. Nam Calor agens in humido Corpore primò generat nigredinem, id est pulvrem nigrum, qui fit ex corpore & Spiritu, id est ex aqua & terra propria, & ex Argento vivo & Sulphure proprio. Cujus Corporis dissolutio est congelatio Aquæ, & sui & argenti vivi, quia non solvitur, nisi congeletur Spiritus, nec Spiritus congelatur, nisi cum solutione corporis. Sic enim inter solutionem corporis, & congelationem Spiritus non est differentia temporis, nec opus diversum, eò quod utrumque agit in alterum ad modum suum, & hoc cum mora, ut pax fiat inter ea. Deinde Calor agens in sicco corpore generat albedinem, & in albo Citrinitatem & postea rubedinem, quod in plumbō videre licet ipsum calcinando. Primò enim vertitur in palverem nigrum: postea in album: deinde in citrinum; & postremo in minium rubeum. Sic quoque Sulphur nigrum, \* Album, Citrinum & Rubeum habebitur ex una metallorum materia, scil. ex Ære nostro ad ple-

\* Rijl. in Recip.

LAPIDIS PHILOSOPHICI. 81  
num depurato , modo tamen diverso decocto  
& digesto unde dicitur :

*Æs nostrum si scis, sufficit si cetera nescis.*

Iilud igitur Æs constringite , & nigredine private , coquendo , imbibendo , & dealbando quoisque album fiat , deinde constringite cum Arte. Item *Johannes Dystinus* de Ære nostro in Rosario suo sic dicit : Æs nostrum primò quanto magis coquitur , tanto magis solvitur , & denigratur , & fit pulvis magis subtilis & Spiritualis: secundò , quo magis coquitur , eò magis inspissatur & dissiccatur , & fit majoris albedinis: tertio quò magis coquitur , eò magis coloratur & rubificatur , & fit Tinctura intentioris rubedinis.

Recorderis tamen quòd Æs nunquam nigriscit , donec à Corpore extrahatur ignis , per suaves distillationes , & in ventre Mercurii deportetur , nec ignis (cum sit inclusus in Centro sui Corporis) potest se manifestare , quoisque corpus sit apertum in colore nigro: Et iste Ignis est illa proprietas Mercurii quam debes totis viribus conservare à Combustione , ne igne nimio vertatur in fugam , & perceat Magisterium. Non tamen extrahitur ignis totus simul , sed parum & parum , multis vicibus , & paulatim egreditur , donec in longo compleatur tempore. Et propter hanc causam , scil. propter multiplicem & tardum egressum de gradu ad gradum , Veteres Philosophi , illum ignem &

F ignes,

ignes, Animam & animas, florem & flores; Tincturam & Tincturas; Sanguinem & Sanguines, pinguedinem & pinguedines appellaverunt: Et quod egreditur & solvitur semper petit superius. Hinc *Dafinus*: quod fit Spirituale in vase sursum ascendit: Quod vero spissum & grossum in vase, remanet dorsum: Ideo nisi omnia vertas in pulverem Spiritualem, nondum ea contrivisti. Contere igitur deinceps (successive) emundans nigredinem, quo usque contenantur, & omnia pulvis siant. Unde *Zinon* in *Turba*: Conteratur Compositum nostrum quo usque pulvis fiat, &c, scitote, quod non fit pulvis, nisi continua & fortissima contritione & decoctione: Item *Senor*: Non valet contritio nisi pulvis fiat: Item *Elbo* Intersector dicit: Nihil aliud feci quam contrivi. Item *Calib minor*: Ignis omnia terit. Et haec contritio multoties apud Philosophos vocatur, Lapis cum Cursore, mortarium cum Pistillo, Vas cum Longo Collo.

Hæc itaque est illa decoctionis contritio sive dispositio, qua totum perficitur Magisterium, quæ habet fieri levi decoctione, humida putrefactione, continua Contritione, sed non manibus, juxta illud quod dicit *Morianus*: Quod si Corpus immundum perfecte non mundaveris, & illud non desiccaveris, neque ipsum bene dealbatum reddideris, & in illud Animam non miseras: Et omnem ejus fætorem non abstu-

stuleris, donec post suam mundificationem tinctura in illud decidat, nihil penitus hujus Magisterii direxisti.

Item de hoc idem Azoch, id est Mercurius & ignis in hac dispositione tibi sufficiunt ad dealbationem Latonis & ad ejus perfectionem. Et haec dispositio est Aquæ ex Terra extractio, & ipsius aquæ super terram Remissio, donec ipsa terra putrefaciat. Hæc enim Aqua cum Terrâ putreficit, & mundificatur, quâ mundata, totum Magisterium (Dei Auxilio) dirigitur, quia tunc caret fætore, & omni humiditate, & potens est recipere Tincturam.

*De Remissione Aquæ super Terram, & Terræ Dealbatione.*

POstquam Æs nostrum in parte fuerit putrefactum ad faciendum in opere Naturæ Spiritum & corpus Naturæ, quod impossibile est fieri, nisi in aëre, hoc est, per sublimationem. Tunc Lapis noster dividitur in duas partes principales, sc. in partem superiorem, quæ ascendit, & in partem inferiorem, quæ remanet in fundo fixa, & tamen istæ duæ partes sunt unius Essentiaz, & naturæ, concordantes in virtute. Et ideo dicit Philosophus: Quòd illud quod est superior est sicut illud quod est inferius, & illud quod est inferior est sicut illud quod est superior. Et ista divisione est necessaria ad perpetranda Miracula rei unius naturæ, id est generationis Lapidis Phi-

## 84 VERA CONFECTIO

Iosophorum: Et ut duo tria sunt, ac quatuor unum, ac duo unum. Pars inferior est Terra, quæ dicitur Nutrix vel fermentum, quia totum lapidem nutrit & fermentat: Et pars superior est Aqua, quæ dicitur Oleum, Unguentum, vel Anima, quia totum lapidem viviscat & reviviscere facit, & de ista parte non fixa, oportet remittere super terram, hoc est, dare terræ ad bibendum, quo usque terra bibat de parte non fixa, quantum bibere possit, sciens tamen quod eportet terram nutrire primò modica aqua sua, postea majori; sicut est via in Infantis educatione & quanto magis crescit, tanto majori indiget cibo & calore: Caveas tamen ne imbibas terram, nisi paulatim & paulatim cum longa trituratione, post nutritionem terræ. Unde in hoc pondus est ubique notandum, ne nimia à siccitate aut superfluo humore opus in administratione corrumpatur. Ut scilicet tantum assando decoquas, quantum dissolvente ejecit, & imbibendo dissolvas quantum assando deficit. Quare multis vicibus contere terram, paulatim imbibite eam, & decoquite de octo in octo diebus, nec te tædeat multoties hoc opus, quamquam sit longum reiterare, quia terra fructum non gerit, absque frequenti irrigatione, nam terra arida est, & valde sitiens, & ideo faciliter bibit suam humidum & aquatum, & trituratio non est perfecta, donec pars superior non fixa, & pars inferior quæ rema-

manet in fundo fixa, fiat unum ac idem corpus sine divisione aliqua. Non suspendas ergo manum tuam à remissione Aquæ super terram, & assatione, donec terra fuerit sicca & alba, quæ albedo generatur ex frequenti & sicca triturazione & assatione. Quare si terra non fuerit alba, tere eam cum aqua sua, & iterum calcina, & omni vice post calcinationem terræ, remitte aquam super terram temperatè, quo usque perirent aquæ partes, id est, deficiant, & donec terra fuerit abluta, quia aqua & ignis terram abluunt, & obscuritatem ejus penitus eripiunt. Nam preparatio semper est cum aqua, & qualis sit aptitudo aquæ, talis erit limpiditas terræ, & quanto magis fuerit ablutio, tanto magis erit & alba terra.

Ex multiplice ergo reiteratione solutionis, aquæ remissionis coagulationis, imbibitionis, assationis, inspirationis & triturationis, major pars aequalitatis Mercurii nostri deletur, cuius residuum per sublimationis reiterationem similiter removetur. Et sic per hos gradus Contritionis, aquæ remissionis, decoctionis, irrigationis, exsiccationis, vivificationis, & calcinationis, terram nigram & fetidam sufficienter mundasti, & ad albedinem perduxisti, vi ignis & calcinationis, quæ apta est ad fermentationem fasciendam, quæ fermentatio est ipsius Lapidis animatio.

Notetis quod Inhumatio in simo interposita

inter imbibitiones tollit combustionem, & perditam restaurat humiditatem. Juvat etiam ut ad perfectæ ablutionis signum melius perveniat: Quod quidem signum est splendor & crystallina serenitas absque fæcibus, nisi forte albis.

Item cum in opere fueris, stadeas omnia signa, id est, omnes colores & singulos, qui in qualibet decoctione apparent, in mente tua re-correlari, & eorum causas diligenter investigare: Notetis in qualibet decoctione; ergo una decoctio, id est contritio, in hoc opere, tibi, nec operi sufficit.

Tres sunt Colores principales in opere appartenentes, sc. Niger, Albus, & Rubeus; quæ virtutes vel Colores Animæ dicuntur. Nigredo est primus color, quia in præparatione per putrefactiōnem, primò apparet, & quotiescumque de gradu ad gradum aliquid de nigredine deperditur, Color semper apparet minus niger, quo usque tandem ad perfectum Colorem albedinis perveniat; Albedo perfecta nunquam apparet, donec Humiditates corruptentes fuerint omnino consumptæ; quibus etiam consumptis, materia ostendit se desiccari; Scias hoc. Coque ergo masculum & vaporem simul, quo usque uterque coaguletur in siccum, quia nisi fuerit siccum Colores diversi non apparebunt, eò quod semper erit nigrum, dum humidum dominetur. Ideo (vase diligenter clauso) coque ad ignem levem donec totum vertatur deorsum.

Tunc

Tunc Draco comedit alas suas proprias, tunc diversos emittit colores, multis modis vici-  
busque diversis movebitur de Colore in Colo-  
rem, donec perveniat ad firmam albedinem.

Item *Dafnius* dicit quod omnes Mundi Co-  
lores apparebunt cum Humiditas denigrans fue-  
rit desiccata, tamen de illis coloribus non cu-  
res, quia non sunt veri Colores, nam saepius  
rubescit, & saepius citrinescit, saepiusque li-  
quescit & coagulatur ante veram albedinem.  
Fit etiam viridis ante albedinem, & lividi Co-  
loris & Violacci Coloris, apparet etiam Color  
Pavonis ante albedinem. Quæ quidem Albedo  
est semper exspectanda tanquam meta ad quam  
desideras in primo opere pervenire, nec varia-  
tur postea in colore in verum præterquam in  
rubeum. Idcirco in omni Imbibitione inspicias  
qualiter Aqua coagulat scipsum, & quo modo  
compositum de Colore vertatur in aliud Colo-  
rem. Si enim negligens fueris, istorum Colorum  
nihil videbis: Et sic operam & oleum perdi-  
dis, neque poteris scire in quo gradu ignis est  
moderandus, nisi per Colores in opereappa-  
rentes. Attende itaque diligenter, quoniam  
Colores se docebunt quid es facturus, & quam-  
diu Ignis primus, secundus & tertius est conti-  
nuandus.

Notetis quod Causa diversitatis Colorum,  
est Alteratio Mercurii nostri per suum pro-  
prium Sulphur.

Hoc etiam sciendum quod quamvis multo-  
ties dicatur à Philosophis pone Materiam in suo  
Vase, & firmiter claude: sufficit tamen semel  
imponere & claudere quoisque (Nutu Dei)  
totum compleveris Magisterium. Quod am-  
plius est à Malo est, quia si pluries aliquid im-  
posueris, tunc Lapis nec in Albedinem, nec in  
Rubedinem convertetur. Ad Occultandam ita-  
que artem ita dixerunt.

Et certe ad generationem Hominis nun-  
quam nisi semel Matrici imponitur semen: si  
enim alias imponetur, tunc unum destryet  
aliud, sive propter indigestionis cruditatem,  
aut aëris ingressiōnem, vel Matcriæ superabun-  
dantiam. Et ob eam causam Mulieres multis &  
variis Viris se exponentes rarissimè concipiunt:  
si verò concipiunt, pariunt abortivum, quia  
cruda coctis, aut indigesta digestis imponen-  
tes, opus non nutriunt, sed occidunt: Nam  
de illo Menstruali sanguine tantum nutritur  
fœtus, & vivit usque in lucem producatur.  
Hinc apparet quod pluribus rebus non indige-  
mus ad opus nostrum, nec magnas requirit ex-  
pensas. Est enim Lapis unus, Medicina una,  
Vas unum, Regimen unum & una dispositio  
ejusdem, tam ad album quam ad rubeum suc-  
cessive faciendum: Ideo si veram materiam  
habueris, eamque rectam disposueris, opta-  
tum sine dubio habebis. Esto ergo in Regimine  
constans; Aquâ ablue Terram, Munda Vas,

Fir-

Firmiter claude , ventum & fumum vita , in perseverantia persevera , suaviter & sapienter age , Calorem & omne opus quod est extra modum vita , moræ ne tædeat , non pigeat te quod agit prolixitas coquendi , putrefaciendi , & inspissandi , nolite ergo festinare , nec ab opere cessare , quia nulla est corruptio & generatio rerum , nisi per motum continuum , Aërem exclusum & calorem temperatum.

Exemplum hujus est Uterus Mulieris , quæ cum conceperit immediate clauditur Matrix , & caliditate & humiditate sanguinis generatur Fœtus , & crescit , nunquam enim flatus extra nos recipit , nisi cum natus fuerit ; sic & Lapis noster in Vase firmiter manet clausus , donec suam biberit humiditatem , & calore Ignis perfecte nutritus fiat albus : Tunc enim nascitur Lapis noster , nec ei nocibunt Acres Flatus , Nisi decreveris ad Rubeum procedere . Est ergo summè necessarium continuare operationem , moderari ignem , excludere Aërem , & non extrahere usque ad Albedinem .

Aliud Exemplum de Ovo : Si ovi testam fregeris , ut ante tempus excludatur Pullus , nunquam rectè hoc fiet : Pari modo si vas aperueris , & materia Aërem senserit nunquam ali- quid præstare poteris .

*De Natura & Arte & eorum Differentia.*

**C**um à multis Philosophis dicitur, idque  
verè quòd Ars Archimiae (id est Ars  
Transmutationis metallorum) est ars & opus  
naturale, & quòd in eodem opere Naturam  
imitari debemus: tamen antequam ad illud  
opus & ejus praxin perventum sit, de primis  
Materialibus aliquid est: De quibus et si abundè  
fatis in præcedentibus narratum sit: Pauca ta-  
men hòc in loco clarius addere haud abs rc erit.  
Dico igitur quòd Materialia quædam Minera-  
lia à Naturâ solum creantur, & non ab Arte:  
Sed postquam à Natura creata fuerint, & sunt  
in potestate Artificis, Natura iterum & aut  
clare in ea præparatione que præcedit primam  
præparationem Philosophicam, aut primum  
opus Philosophicum ambo præparat, ut gene-  
rationi novæ magis apta sint: tunc Ars dividit:  
Et hoc est de quo Nortonus nostras:

*When your Materialis by preparation  
Be made well apt for generation  
Then they most be parted atwain  
Into four Elements to make ye w'in.*

Et postquam dividuntur, per se scorsim præpa-  
rantur, & postea secundum debitam propor-  
tionem conjunguntur. Tunc (incipiente primo  
opere Philosophico) iterum præparantur, alte-  
rantur, sublimantur, subtiliantur & creantur  
natura: scil. unde Isidorus Philosophus: Pri-

LAPIDIS PHILOSOPHICI. 91  
mæ dispositiones nostri Lapidis nullâ arte indu-  
ci possunt, à naturâ vero creantur.

Cumque à natura præparata, alterata, subli-  
mata, & creata fuerint; Ars iterum (definente  
sive deficiente natura) per solam virtutem na-  
turalem existentem in spermaticis materiis (jam  
à natura creatis) conjungendo, vel fixando vel  
ut naturæ minister & adjutor, succurrit ipsi rei  
nondum perfectæ, ut perficiatur: nihil tamen  
addit formæ nec materiae nec virtutis, sed tan-  
tum auxiliatur ut fiat & compleatur quod ad-  
est, & nondum perfectum est. Hinc Clingor,  
Lapis noster à naturâ creatus invenitur, nec alio  
indiget, nisi ut Artifex adjuvando naturam  
ipsam de imperfectione reducat ad perfectio-  
nem: Natura itaque primo producit & creat  
materiam, quæ postmodum juvatur ab  
Arte.

Prima igitur & præcipua causa Generationis  
metallorum in opere Naturæ est naturalis: se-  
cunda verò artificialis: Quæ posterior absque  
primo nihil efficit. Frustra namque fit Electua-  
rium nisi adsit Materia creata per Naturam.  
Constat ergo utramque ab altero juvari, Natu-  
ram ab Arte, hanc à Natura, & vicissim ambas  
ad opus prodesse, cùm Naturæ tum Artis. Et  
differentia inter Naturam & Artes in Naturæ  
operibus est, quòd Natura agit interius, Ars  
verò exterius: Et si scias bene disponere & rege-  
re Naturam exterius, ipsa interius sufficiet sibi  
& tibi

92 VERA CONFECTIO  
& tibi in omnibus quibus indiget usque ad ultimum perfectio*n*is finem.

*De Metallorum in Terra Generatione.*

**R**atis inquit quod omnia quæ sub Lunari globo inferius condita sunt a summo Opifice; quatuor participant Elementis, non per visum, sed per virtutem. Elementum enim aquæ, vocamus ipsius aquæ humiditatem. Aërem vocamus ipsius aëris Naturam. Ignem verò, virtutem illam quam habet, qua comburit, calcinat, & solvit. Terra est ipsum Corpus spissum & grossum per se; & sic solummodo Aqua & Terra à nobis videntur & tanguntur. Alia verò duo in his duobus intelliguntur. Hinc sequitur quod omnia Metalla in terrâ existentia ex quatuor Elementis sunt generata, quemadmodum Mercurius, qui est eorum omnium Mater, Materia & Radix. Qui quidem Mercurius, quando fuerit calefactus, Elementa in eo per suum proprium motum moventur, & naturalis Calor excitatur, ab ejusmodi motione; ignis pariter & Aér existentes in Mercurio moventur & paulatim elevantur, cum sint digniora Elementa, quam aqua & terra ejusdem Mercurii, nihilominus Humiditas & frigiditas dominantur in Mercurio. At quia Calor & siccitas digniora sunt Elementa, vincere conantur alia duo, scil. frigiditatem & humiditatem in Mercurio dominantes, nam cœlestes

iestes motus excitant alios motus Calorum naturalium per quos Mercurii motus, moventur quatuor clementa Mercurii, id est quatuor qualitates moventur. Postmodum successu temporis longo siccitas Mercurii vincit unum gradum suæ humiditatis & frigiditatis, & fit Plumbum. Deinde aliud quoque gradum vincet, & fit stannum. Postea Calor Mercurii iterum consumit plus adhuc suæ humiditatis & frigiditatis, & fit aliud Metallum. Et sic gradatim de ceteris, donec in Mercurio Calor magis dominatur, & fit Aurum perfectum. Hac viâ duas qualitates, quæ prius succumbebant frigideitate & humiditate viæ, modo vincunt alias, ac dominantur caliditas & siccitas, quæ sunt in excitatione sua Sulphur, & frigiditas & humiditas ejusdem Mercurii est ipsem Mercurius, tamen hoc Sulphur non est aliquid à Mercurio divisum et separatum, sed est solum Caliditas & siccitas quæ prius non dominabantur in frigiditatem & humiditatem Mercurii. Sed postea digestum habens dominium in duas alias qualitates dictas, nempe frigiditatem & humiditatem, & eorum imprimunt virtutes. Et per ejusmodi graduum decoctionum varietates, sunt Metalorum diversitates.

Plumbum ab igne continuè fugit evolatque non alia de causa, nisi quia frigiditas & humiditas sui Mercurii nondum alteratae fuerunt, per caliditatem & siccitatem sui Sulphuris, nec adhuc

huc dominantur Caliditas & siccitas, nam si dominarentur non fugerent ullo modo, vel ullo igne, quia Mercurius Plumbi esset purus ignis, æque benè ac Mercurius Auri, & ita non fugeret ignem, quia ignis suum simile non pelleret, sed in igne gauderet ut in suo simili. Reliqua quoque Metalla preter Solem fugiunt ab igne, quia sunt adhuc frigida & humida, & unum plus alio, juxta majorem aut minorem cum frigiditate & humiditate participationem: Fugiunt (inquam) quod ipsis contrarium est, sustinereque nequeunt, quia quælibet res naturaliter fugit suum contrarium, & quodlibet suo simili delectatur. Inde sequitur Solem nihil aliud existere quam ignem purum in Mercurio, quoniam ab igne vehementi non recedit, cum alia Metalla nequeunt ignem ferre; sed unum plus alio, ut magis accedunt vel recedunt ab ignis complexione. Et ita potes intelligere metallorum complexionem & naturas eorum. Nam Sulphur nihil aliud est quam Purus Ignis, id est, calidum & siccum occultatum in Mercurio, quod longo successu Temporis in Mineris excitatur, & movetur motu naturali & via Naturæ: digeritque frigiditatem & humiditatem in Mercurio pro varietate graduum decorationis & alterationis in diversas formas metallicas, quarum prima forma (ut superius dictum est, est Plumbum nigrum, fetidum, &c. Secunda forma est Stannum, paulò magis lucidum

dum & sic de cæteris usque ad Solem. Qui quidem in perfectione suæ naturæ metallicæ purus ignis est à Sulphure digestus, existente in Mercurio. Ex his rursum manifestè patet, quod Sulphur hoc non est quid per se seorsim extra substantiam Mercurii, neque vulgare Sulphur; si enim ita esset, Materia Metallorum non esset Homogenea, quod pugnat contra Philosophorum omnium assertiones, qui hujusmodi qualitates dominantes vocaverunt sulphur à similitudine, quia substantiam habent inflammabilem, velut Sulphur calidam & siccum cui insunt. Unde clare liquet formas metallicas à natura solum ex pura substantia Mercuriali creatas esse, non extranea. Hinc *Geber* in Summa sua sic dicit: In profundo naturæ Mercurii est Sulphur, quod coquit & perficit longo successu temporis in venis Mineralium terræ.

Manifestius hac de re loquuntur Morienus & Aros: Nostrum (inquiunt) Sulphur non est vulgare sed fixum, & non volatile de natura Mercuriali, & non ex alia re quapiam.

Nos igitur exactissimè naturam imitamur, qui in Mineris nostris non habemus aliam Materiam in quam operemur, præterquam puram substantiam & formam Mercuriale, quod potest probari optimis rationibus, authoritatibus & experientia: Quia ubi Mercurius, ibi est Sulphur fixum incombustibile, quod opus nostrum perficit, absque alia substantia quam pura:

pura substantia Mercuriali. Unde Natura Metalla sua procreat ex Calore & siccitate Mercuri, frigiditatem & humiditatem superantibus alterando, & nulla alia persiciuntur essentia, ut in multis Philosophorum libris declaratur.

*Addittones.*

**C**ognitio qualitatis metallorum, & eorum creationis principium, facile facit hoc Magisterium.

Metalla non sunt aliud quam Argentum vivum in venis terræ per coctionem naturalem congelatum, longo tempore productum. Vel sic, secundum Democritum: Metalla sunt vapores qui inspissantur & congelantur secundum tempus virtutis naturæ in spatio longo: Et primò quidem coagulantur Argentum vivum & Sulphur, quæ sunt in Mineris, duo Elementa scil. Aqua & Oleum, super quæ assiduat De coctio æqualis cum caliditate & humiditate donec coagulata sunt: Et ex eis diversa in terra gerantur Metalla, quorum tamen Materia prima, est una & eadem. Et sic concordantes asserunt omnes Philosophi.

At dices, si omnia metalla genita sunt ex una materia Sulphuris, & argenti vivi simul unitorum, unde provenit tanta inter metalla diversitas? Profecto ex diversa illius Sulphuris locione, & ex diversa quantitate pura vel impura, & à loco minerali diverso, atque ab accidentibus

bis diversis quæ supervenerunt, & à diverso calore qui varie digerit materiam illam unam metallicam, & sic etiam concordantes afferunt omnes Philosophi.

Hinc *Albertus Magnus*: In Naturæ operibus didici proprio visu, quod ab una origine sicut Vena, & in quadam parte sicut Aurum, & in alia Argentum & sic de cæteris: Quæ tamen Materia prima sicut una, sed diversus sicut Locus in calore. Ideo diversitas loci depurationis metalli, diversitatem secundum speciem sicut operata.

Paracelsus Philosophus dicit: Natura componit & præcoquit Metalla sua gradatim per gendo; Et sic ex unâ radice tantum omnia metalla procreat usque ad ultimum finem metallorum, quod est Aurum. Aurum itaque est ultimus finis in generatione metallorum: unde dicitur: Impossibile est Aurum generari, nisi prius fuerit argentum.

Argentum in Aurum (excepta Physica tinctura) transmutari nequit, nisi in Mercurium redeat currentem: Et sic de cæteris metallis censendum.

Metallorum, unum alterum excedit majori Caliditate, siccitate, decoctione, puritate, perfectione, quæ sine corruptione & amissione formæ præparari, & à suis superfluitatibus purgari debent, in quibus thesaurus & Lapidis Arcanum consistit.

Quilibet Mercurius Metallorum & Mineralium, gradibus successivis potest percoqui, & exaltari in qualitatem usque ad Corpus Solare: Indeque deduci ad cum gradum & virtutem corporis metallici ad quem volueris.

Metallorum omnium Mercurii operis abbreviatione, in aurum argentumve mutantur.

Et his Additionibus sicut ex prædictis colligi potest: quod in Generatione Metallorum, quodlibet Metallum suo loco facit Imaginem suam usque ad complementum operis: Et tunc artificiose nascitur Lapis noster habens in se quatuor Elementa verè unita, & naturas omnium tinturarum secundum suos gradus præparationis & ignis; sed ut verius dicam naturaliter nascitur secundum omnes Planetas.

*Admonitiones ad Lectorem.*

**P**RIMO te admoneo quòd omnes qui extra Naturam laborant sunt decepti ac deceptores, & in rebus non debit is operantur: Quare consulo quod non intromittas te ad operandum, antequam principia veræ naturæ cognoscas (quibus cognitis) tuto poteris operari. Hoc etiam te scire volo, quod impossibile est indigentem Philosophari: Ideoque si de proprio non habes, de alieno (licet plurima secreta, ea que magna docueris, & fidelissimè promisisti fueris) ad benè placitum suum habere non potes: Hæc ut expertus dico, & etiam ut non omit-

omittas tempus , laborem & pecuniam tuam. Præterea admoneo quòd non accedas ad praxim nostri divini operis , antequam naturas metallorum , eorumque generationes , infirmitates , & imperfectiones in visceribus terræ exactissimè cognoscas. Postea tecum deliberes , & non inchoes , nisi consummare decreveris. Et si prima vice non fueris assecutus , non cesses ; sed bis vel ter reitera , & etiam amplius si necesse fuerit , quo usque quod quæris , perfectissime apprehendas : Neque ab hac re labor inanis inaniū rerum , nec expensæ rerum se amoveant , quia ut inquit (*Rasis*) cum instantia vinces , & cum sapientia superabis , & ad id quod optas Deo Volente pervenies , & de manuum labore mercedem , & lucrum de rerum sumptibus rehabebis , neque indigebis hujus operis reiteratione ex quo ipsum semel perfectè peregeris : sed si prima vel secunda vice labore fatigatus , vel expensis perterritus cessaveris , inde detrimentum & non augmentum scias te incursum : Dico præterea quòd non potes ad utilitatem nostræ divinæ artis pervenire sine prolixo regimine , & continuo. Unde *Hermes* : Mora & patientia sunt necessaria in nostro opere. Festinatio quidem ex parte Diaboli est. Item *Morianus* : *Omnis festinatio in hoc opere , procul pellatur.* Item *Rasis* : In hoc negotio si agendi difficultas , & tædiosa fatigatio opificem negligentem efficiat , ipsum expectato gaudio privat , spemi

suffocat, efficaciam interimit, unde vehementia cavenda est. Qui igitur patiens est in regmine, & in proposito constans, ingredietur artem: Qui verò non, collectas à nobis Philosophorum sententias non legat, quia lectæ, illi inferent damnum. Ideoque dixit Rasis: Qui laborat in libris nostris legendis, eisque vacat, nec variis est implicitus cogitationibus, Deumque precatur, in regno regnabit donec morietur: Quod enim quaeritur non est parvi pretii, sed est domum Dei altissimi, ob id, longo tempore, patientia & labore opus est. Ars longa, Vita brevis, expensæ non parvæ, ut inquit Nortonus. Videmus enim in vegetabilibus, qui arbores inserit, tempore fructus sperat, & qui seminat, post menses metit. At Mineralia longiori tempore durant, nec tam citò aut facile corrumpuntur. Spectate ergo & discite postquam materialia (præparatione quæ præcedit primam præparationem Philosophicam) facta sunt ad generationem apta: *Primo* componere, deinde Naturas convertere, commiscere, conquere, assare, terram irrigare, cerare, terere, dealbare, pacem inter inimicos facere ac deum tingere. Hæc plura sunt nomina. Regimen tamen unum est, sed decoctio est continua, quam Philosophi reiterârunt sæpe. Si enim scivissent quòd una decoctio, & una contritio operi sufficeret, non tantum sua dicta reiterâfserint. Ideo autem fecerunt, ut compositum

LAPIDES PHILOSOPHICI. 10<sup>e</sup>  
teratur & coquatur continuè sine Intermisso-  
ne, neque temporis aut laboris vos tædeat.

Finis autem est, ut complexiones apteris, &  
consanguineos suis consanguineis copuletis,  
deinde multipliciter conteratis, decoctiones im-  
buatis, & cò usque coquatis, donec Spiritus  
fiant impalpabiles, & videatis rem quæfitam,  
vestitam veste regia, & in Colorem Tyrium  
versum. His verbis, quamvis mortua sunt, in-  
est tamen intelligentibus vita: frequenter igitur  
legite ea: & super his semper plurimùm medi-  
tamini, & Deo volente Sapientia vobis acce-  
det, & dicta Philosophorum intelligetis.

*De Conversione Naturarum.*

COnversio Naturarum nihil aliud est, nisi  
Elementorum circularis Rotatio. Sunt  
enim de aptitudine sua adinvicem conversiva,  
& ideo generantur, & corrumpuntur & ad in-  
vicem alterantur. Et certe operatio nostra, est  
Naturarum Circularis Conversio: Hoc est Ele-  
mentorum contrariorum (mediantibus eorum  
mediis) admirabilis & amicabilis Connexio.  
Unde *Aristoteles*: *Impossibile est Transitus inter con-  
traria, nisi per eorum media*: Sexto Physic. Ideo-  
que Calidum non convertitur in frigidum nisi  
per humidum, quod est eorum Medium. Nec  
etiam Aqua vertitur in Ignem, nisi prius ver-  
tatur in Aërem; nec Terra vertitur in Aërem  
nisi prius vertatur in Aquam; nam Ignis & Aqua

sunt Elementa contraria sive extrema; & Aér  
& Terra sunt eorum Media: quia sicut Aqua  
est juxta Aërem inferius, sic Aér est juxta  
Ignem superius: Ideoque Aqua contrariatur  
Igni, sicut Terra Aéri, eò quòd Aqua & Aér  
conveniunt in humido: Ignis & Terra in sicco.  
Terra immediatè mutatur in Ignem, sicut A-  
qua in Aërem: sed Ignis & Aqua, Aér & Ter-  
ra non rotantur, nisi Terra in aquam, & Aér  
in ignem prius convertantur.

Alius Philosophus dicit: *Qui scit convertere*  
*siccum in frigidum, & frigidum in humidum, &*  
*humidum in calidum, & calidum in siccum totum*  
*habebit magisterium.*

Has ergo Naturas, scil. Masculum & Fœmi-  
nam, Calidum, Frigidum, Humidum & sic-  
cum verè conjunge, & nutrias ea aquâ vivâ, ut  
Naturæ alterentur, & in alias Naturas conver-  
tantur, & ut naturæ per naturas appareant. Be-  
nè enim ordinavit Natura, ut Elementa circu-  
lariter sibi communicarent qualitates, quatenus  
circulares transmutationes ex ipsis fierent, &  
ex circulari transmutatione Elementorum fie-  
ret; Utpote Terra communicat suam siccita-  
tem Igni, Ignis vero caliditatem suam Aëri,  
Aér Humiditatem suam Aquæ, Aqua verò  
communicat suam frigiditatem Terræ. Et Ter-  
ra iterum siccitatem suam Igni, & sic circulari-  
ter Materia Terræ appetit esse sub forma Ignis,  
quia Ignis naturaliter sicutis agit in Terram,  
& con-

LAPIDIS PHILOSOPHICI. 103  
& convertit Materiam Terræ in suam formam.

Modi vero conversionis naturarum ad invicem sunt quatuor principales, scil. *Solvere*, *Abluere*, *Reducere* & *Congelare*.

Primus ergo Modus fit *Solvendo*, id est Corpus primò debet Solvi; Secundus *Abluendo*, quia debet ablui; Tertius *reducendo*, quia humidum super siccum debet Reduci; Quartus Igne levi *Congelando*: & in ipsis quatuor consistit vera naturarum conversio.

Item *Solvere* est dividere, Corrumperem, & materiam vel Naturam primam facere.

*Abluere* est *Inhumare*, *distillare*, *ascendere* & *descendere*, *calcinare*, *naturas corrigere*, & grossa mitigare, & unanimiter una transeat natura in aliam, ut sint unum à substantia unius naturæ.

*Reducere* est incerare, Impinguare, vel Imprægnare, subtiliare, & Elementa unire, ut unum possit agere in aliud: Ignis in Terram, Terra in Aquam, Aqua in Aërem, Aër in Ignem, quia sunt fluxibiles, & spiritualiter unius fluxus & Incerationis.

*Congelare* est desponsare, resolvare, & naturas contrarias retinere, quia unitæ sunt, & ideo faciliter una retinetur ab alia, quod impossibile est sine solutione & naturarum ablutione.

Per hoc sequitur: Quod solutio est totius operis inceptio: Et *Ablutio* est naturarum mitigatio: quoniam quæ abluuntur mitigantur:

Et quæ mitigan tur, uniuntur, ut in tota substantia fiat Sulphur album vel rubeum non urens.

Præterea *Solutio* convertit Lapidem in suam primam Materiam, id est, suam Aquam; Ablutio in Aërem; Reductio in Ignem; Et Conge latio in Terram spiritualem & tingentem: Unde *Aristoteles*: Cum habueris Aquam ex Aëre, Aërem ex Igne & Ignem ex terra, completam habebis Artem, quia tunc quatuor naturæ Lapidis sunt benè & perfectè *præparatae*: Quod sic intellige:

Cum frigidum vicerit calidum, Aër vertitur in Aquam, cum vero calidum vicerit frigidum: Aqua vertitur in Aërem: Aërem verò habes ex Igne per Lapidis Solutionem, Putrefactionem, & multiplicem reductionem super ipsum, donec benè ablutum sublimatione, fiat Album. Deinde Sole exaltato habes Ignem ex Terra per Lapidis divisionem, Aquæ distillationem, & Terræ Calcinationem. Nam sicut ab Aëre Aquam habes distillatione; sic Ignem habes à Terra calcinando. Et sic scias quod Terra suam frigiditatem aquæ præstat: Aqua suam humiditatem Aëre donat: Aër suam Caliditatem Igni communicat. Et sicut Ignis vivit de Aëre, & Aër de nutrimento Aquæ, & Aqua de nutrimento Terræ, ita Lapis noster vivit de omnibus Elementis.

Item per Solutionem Natura operatur integrus:

LAPIDIS PHILOSOPHICI. 105  
rius: per Ablutionem exteriūs, per Reductio-  
nem superiūs, per Congelationem inferiūs. Et  
hac omnia Magister operis & Ignis facit in uno  
Solo vase, in quatuor gradibus: scil. quatuor  
Colorum species conversionis.

*Converte Elementa, & quod queris invenies.*

**C**onvertere Elementa in nostro Magiste-  
rio, primò est de grossō facere gracile, hoc  
est de Corpore Spiritum, & postea de humido  
siccum, id est, de Aqua Terram: & sic con-  
vertimus Elementa.

**G**ratianus Philosophus de modo converten-  
di Corpus in Spiritum sic dicit: Terra resolvi-  
tur in Aquam, Aqua in Aërem, & Aér in  
Ignem: & hæc est via qua Corpus vertitur in  
Spiritum.

Spiritus autem in Corpus vertitur hoc modo.  
Affiduus Philosophus dicit: Ignis coagulatur &  
fit Aér; Aér verò coagulatur & fit Aqua; Aqua  
verò coagulatur & fit Terra. Ecce in unam na-  
turam Inimici convenerunt, qui cum impul-  
santur, id est coagulantur, fiant amica, cuin-  
que rarescunt, fiunt inimica, scil. in conver-  
sione Elementorum.

Quod si hanc Regulam convertis per contra-  
rium, vertis Corpus in Spiritum. Oportet te  
ergo totum extenuare in terra, id est, Terram  
Spirituare, id est, Tingentem facere, & totum  
peregisti.

Unde *Plato* dicit, Scitote omnis Turba, quod omnis Spissitudo in terra quiescit : Spissum namque Ignis in Aërem cadit. Et spissum Ignis & Aëris in Aquam, & densum quod ex Ignis, Aëris & Aquæ spisso coadunatur, cadit in Terram.

*Additiones.*

**Q**ui quartum non convertit in sextum, non poterit sextum convertere in quartum, nec in septimum.

Quartus in sextum conversus beneficio Mercurii crudi, si refrigeratus fuerit, opus periit.

Quartus sexto imponi debet, ut in Sulphur solvatur : deinde in Philosophorum Lapidem coquatur.

*Regula Generalis.*

**P**Hilosophi dicunt quod non fit *Conversio* sive *Alteratio* alicuius humidi, nisi prius fuerit ex sicco partium subtilissimarum exhalatio. Et hoc non fit subito, sed paulatim: scil. per dissolutionem unius & desiccationem alterius.

Item omnis *Conversio* naturaliter suum habet modum & tempus determinatum: ut dicit Philosophus: Ita ut quædam in majori, & quædam in minori temporis spatio terminentur. Ad hanc tria sunt necessaria, scil. Patientia, Mora, & Instrumentorum aptatio.

Item noctis quodam *Conversio*, *Desiccatio*, *dispo-*

dispositio, Mortificatio, Inspissatio, præparatio & alteratio idem significant in hac Arte. Et secundum Philosophum, Alteratio est Mutatione secundum qualitatem facta, ex quadam materiae localis permutatione: Quæ quidem Mutatione continet in se Principalia hujus Magisterii, de quibus dicit Geber: Sunt itaque hujus artis principia modi operationum ipsius, quibus applicatur Artifex ad hoc Magisterium: quoniam mediantibus ipsis, hæc res quam quærimus, generatur, & in esse actuale deducitur. Est itaque unus modus Sublimatio: Alter Descentio: Tertius Distillatio: Quartus Putrefactio: Quintus Calcinatio: sextus Congelatio: Septimus Fixatio: Octavus Ceratio & his similibus. Qui quidem modi à se invicem diversi sunt.

Primus ergo modus est Sublimatio, Nam quando Philosophi viderunt corpus eorum in vase positum sentire Solem, & Calorem in continenti exhalat seu vaporat in Speciem fumi subtilissimi, & ascendit in altum in Capite vase, tunc vocaverunt tales materiæ ascensionem sublimationem. Quæ quidem sublimatio secundum Geberum est rei siccæ per ignem elevatio, cum adhærentia partium subtilium suo vase: Et causa inventionis ejus est mundatio Spirituum, quo usque per exaltationem nobilitetur Medicina, quod aliter impossibile est. Unde Alexander Philosophus dicit, quod nisi Corpus (cum suo compari mistum) in initio

coquendi sublimaveritis donec totum corpus sublimetur , & utrumque in aquam claram vertatur , ad opus pretiosum non pervenietis . Item Agadmon Philosophus dicit : quod si dubitatis quo modo corpus fiat aqua , scitote quod intentio Philosophorum est , ut Corpus quod non erat Aqua , fiat sublimatione aqua Spirituali cum Aqua in qua est . Quia quod Spirituale est sursum sublimatur , donec totum una Aquæ munda facta est , quo viso quasi totum habetis Magisterium .

*Deinde* videntes eam Materiam quæ ascenderat descendere ad fundum vasis , vocaverunt descensionem seu distillationem . Quæ quidem distillatio est putrefactæ liquorosæ rei à fæce suæ turbulentiæ separatio . Et Causa inventio-  
nis ejus est Inquisitio Aquæ puræ , ita ut Cor-  
pus Solutum post ipsius Aquæ resolutionem ,  
non possit infici nec corrumpi . Ideoquic dicit  
*Morianus* : Tota operatio nostra non est aliud  
nisi extractio Aquæ à Terra , & hujus Aquæ  
super Terram Remissio , donec ipsa Terra cum  
Aqua sua putreficit & mundificatur , quæ cum  
mundata fuerit auxilio Cuncta-Regentis totum  
Magisterium perficitur .

Adhuc videntes istam materiam inspissari &  
denigrari , & foetorem malum dare , vocave-  
runt putrefactionem : Quæ quidem putrefac-  
tio secundum *Joannitium* est Corruptio sub-  
stantiæ mistæ materiæ ex vaporum retentione .

In

In opere enim nostro , si Vapores per Aërem dispergantur , non putrefit neque corruptitur ipsa substantia mista Materiæ . Quare dicitur alud sic adaptari ne respirari possit . Et causa inventionis ejus est Regeneratio . Unde Rogerus Baconus : Quando Naturæ corruptuntur & putreficiuntur , tunc gignuntur . Item Plato : Sine Corruptione generatio fieri non potest , unde studeas in Putrefactione . Item Ripley in sua scala ; scias nihil natum vel crescens , nec animatum esse , nisi post putrefactionem : Si enim putridum non fuerit , Lapis solvi non poterit : Et si solutum non fuerit ad nihilum redigetur ; quia cum per putrefactionem moritur , per regenerationem resurgit Spirituale .

*No: etis quod Putrefactio ad Albedinem usque se extendit & durat.* Item absque putrefactione nulla perficitur Solutio . Item Solutio perfecta est Sole in Mercurium currentem resoluto . Item Sole in Mercurium resoluto , jam Anima est in Aqua , quam diligenter per ascensum ablue totam & habebis quasi totum Magisterium .

*Po:stea* videntes colorem nigrum seu fuscum , & suctorem malum post longum tempus dimittere , & Albedinem aliqualem ad modum coloris Cineris venire , vocaverunt dealbationem seu Incerationem primam . Quæ quidem Incersione est imbibitio humoris super terram , ut ipsa privata humore per Incerationem mundetur

110      VERA CONFECTIO

tur à primis maculis velut à nigredine & Tenebris. Et causa inventionis ejus est Argenti vivi de Colore in Colorem mutatio. Unde Dastinus, inspice multoties qualiter compositum babit Aquam suam, & in unoquoque gradu operua nostrorum coloribus alteretur, donec ad metam albedinis deveniat, quod est signum perfectionis.

Adhuc videntes terram cum aqua commisce-  
ri, & aquam paulatim propter temperatam de-  
coctionem diminui, & terram crescere, dixe-  
runt omnes quòd hæc erat perfecta calcinatio.  
Quæ quidem est rei per ignem purificatio, seu  
pulverizatio, ex privatione humiditatis partes  
consolidantis & fluere facientis: Et causa inven-  
tionis, Calcinationis Luminarium Argento-  
rumque vivorum insimul est, ut ibi magis ac  
melius figantur. Sic ergo per privationem hu-  
miditatis, quod erat Volatile fit fixum, &  
quod molle durum. Item fit mutatio de natu-  
ra in naturam, & de aqua in ignem secundum  
naturales Philosophos. Item mutatio Com-  
plexionum ut de frigida & humida complexio-  
ne in calidam & sicciam; seu de Phlegmatica in  
Cholerica secundum Physicos. Item quod  
erat spirituale fit corporeum secundum Autho-  
rem perfecti Magisterii. Item fit de manifesto  
occultum, secundum Rodianum in libro trium  
verborum. Unde Hermes ait: Quòd Terra cum  
aqua sua calcinatur, imbibitur, & temperata  
de-

LAPIDIS PHILOSOPHICI. III  
decoctione Solis , id est , Caloris desiccatur , &  
in terram vertitur tota Materia. Unde idem vis  
ejus integra , si versa fuerit in Terram.

Deinde videntes quod tota Materia reducebat  
se ad solidam substantiam , & non fluebat ,  
immo stabat strictè , dixerunt quod hæc esset  
perfecta congelatio. Quæ quidem est rei liquo-  
rœ ad solidam substantiam per humidi pri-  
vationem reductio : Et causa inventionis ejus  
est Argenti vivi Induratio ; Unde Dastinus ,  
Qui non liquefacit & coagulat multipliciter  
errat. Quare denigra terram separando ejus A-  
nimam. Postea verte aquam super terram de-  
siccando & dealbando totum , & habebis Magi-  
sterium. Item Plato : Solvite Lapidem nostrum  
& postea congelate eum cum magna cautela si-  
cuit vobis est demonstratum , & habebis quasi  
totum Magisterium. Idem alibi : Accipe La-  
pidem nostrum & pone in vase ; & assa Igne le-  
vi , donec confringatur , & postea coquite ad  
Calorem Solis , donec congeletur. Et Scitote  
quod totum Magisterium nihil aliud est , nisi  
facere veram Solutionem & perfectam & natu-  
ralem congelationem.

Præterea videntes MateriaM prædictam per-  
fectè congelatam & inspissatam ita quod nullo  
modo ulterius resolvebat se in aquam nec in fi-  
num. Dixerunt quod verè erat sixata , quia  
eandem congelationem & inspissationem pro-  
pter majorē Caloris decoctionem , viderunt

venire ad perfectum dissiccationem & dealbationem , & quod ista albedo erat super omnes albedines ; dixerunt quod hæc erat perfecta *Cera:io*. Quæ quidem est fugientium ab igne perpetua aptatio. Et causa inventionis ejus est, ut omnistinctura , omnisque alteratio perpetuetur in altero , & non mutetur. Hinc *Daflinus* : Tunc fugiens non volat à non fugiente, quamvis ignis sit æstuans , quia Magnesia cum dealbatur Spiritus fugere non permittit , nec Æris umbram ulterius apparere. Ipsa namque est Sulphur album , fixum quod omnia Corpora tingeit , perficit & in Albam convertit.

Notetis quod verba sequentia, scil. Alembico distillare , Animam à Corpore separare , Assare , Aquare , Calcinare , Cerare , Cibare , Coap-tare , comedere , coire , corrigere , cibrare , cum forcipibus incidere , Dealbare , Deficcare , Di-stillare , Divide-re , Elementa unire , extraherc , exaltare , foliare , fundere , generare , gignere , gladio igneo incidere , Haurire , humectare , Imbibere , impastare , infimare , incerare , Lavare , levigare , limare , Malleo percutere , mortificare , Nigrare , putrefacere , Rigare , ro-tare , rubificare , Solvere , sublimare & Terere spectant ad Medicinam primi Ordinis: Quorum tamen Regimen est unum , scil. Coquere.

*De Vase & ejus Forma & Materia.*

**P**Hilosophi quoddam Vas & ejus formam cognoscere præceperunt, sine quo nunquam ad propositum pervenerunt : *Quod quidem vas est unum solum, vireum, stissimum, bene coctum & undique clavatum, unius cubitus longum.* Subtus & supra sine scopolis planum, cuius fundus parvæ sit concavitatis, cum parictibus planis & amplitudine Capitis, ut sublimatum per illud ascendet & descendat liberius. Et de alia Materia quam de Vitro non valet, nisi similis esset substantiæ cum illo, quia solum vitrum est sibi simile, cum Corpus sit lucidum, transparens, & poris careat, potens est Spiritus fugaces tenere, ne extermintur ab igne, & Colores in opere apparentes demonstrare, ne Operator in regmine erret. Alia verò corpora nihil valent, quia sunt opaca & porosa, per quæ Spiritus successive transeuntes evanescere possunt in fumum : Et quia proprium est Mercurio per fumositatem ascendere & non descendere, ideo sit Juncta ingeniosa & bene conveniens, de vitro liquefacto facta: Et fortiter & continue claudatur vas, ne quid intrare vel exire possit, quia si Aér vel Alienus humor intraverit, Administrationem corruptit. Aut si fumus ex quo Metallum generatur in terra, inveniret locum apertum, expiraret, & nullum generaret Metallum. Idcoque etiam sit ut Activa à Passivis

sivis non recedant, donec ad decoctionem deveniat perfectam. Si vero Flos ejus egreditur, & fugiat, totum opus privatur effectu.

D: *Alio Vase & ejus Quantitate.*

**S**I Antiqui sapientes aliud quoque vas in quo Lapis noster poneretur, & ejus quantitatem non invenissent, numquam ad nostri Magisterii perfectionem pervenissent: Quod quidem vas est *Aludel* non vitreatum, quod est vas terreum: Et idem vas est receptaculum omnium tincturarum & respectu Lapidis continere debet (primo anno Chaldæorum) 24 Scyathos Florentinos plenos: nec plus neque minus. Qui tamen Scyathorum numerus (post convivium sive conjugium) in duas æquales sit distributus partes, quælibet scilicet ipsarum 12 comprehensio scyathos. Item Philosophi præceperunt naturam istius vasis diligenter perscrutari, quia est quasi radix & principium nostri Magisterii: Et idem Vas est tanquam Matrix in animalibus, quia in eo generant & concipiunt pariter & nutritiuntur. Unde *Hortulanus*: Sicut in omni generatione naturali requiritur Spiritus masculini receptaculum idoneum cum quadam consonantia & similitudine ad ipsum sperma: Ita in nostra generatione naturali oportet quod habeat sui spermatis, id est, suæ tincturæ idoneum receptaculum, & sibi consonum cum quadam similitudine ad ipsum sperma: Et istud est  
Vas

Vas Philosophorum. Unde *Calidius*: Nisi vas nostri Magisterii idoneum sit, totum opus destruitur, nec Lapis noster producit Effectum generationis, quia non invenit vas generationi aptum. Et *Albertus Magnus* de generatione nostri Lapidis sic: Locus est principium generacionis, & locus generat locatum, per proprietates Cæli, quæ influuntur ei per radios stellarum. Hinc Plato: sicut per motum firmamenti fit revolutio Elementorum per quam revolucionem Corpora subtilia nituntur superius ascendere, & id quod ponderosum est manet inferius: sic est in opere peritorum Archimistarum. Ideoque necesse est munire vas per quod totum firmamentum in circuitu suo resolvitur; nam quod quæritur in nostro opere est illud quod provenit ex Elementis. Item *Hali* de vase nostro loquens inquit: Accipe Ovum, id est, Vas, & ignis percute gladio, animamque ejus recipe, hæc enim est ejus clausura. Item *Dafnius* in Rosario suo, Conserva vas & ligaturam ejus, ut sis potens in conservatione Spiritus: nam Aqua quæ prius erat in terra, & fugere nequibat, rediit jam ad superiora vasis à sua terra. Et sic terra pariet Aquam mediante Igne, quæ prius erat in suo corpore, id est, Terra: Et *Aricenni* dicit; Lapis sive Mercurius noster in duplice vase cognito ponendus est.

*De Carbonum proclarioris operis Intellectu  
Quantitate.*

**E**rrore cui non occurritur in principio, potestea in immensum auctus, facilè non conceditur emendari: Igitur ne quid ob nostram negligentiam in opere pratermittere videamus, de Carbonum quantitate, differendum esse censuimus: nam sine hac nunquam voti sui compos evadet Artifex. Summa igitur Carbonum omnium pro tribus integris annis, pro eorum mensura, quæ olim & nunc Philosophis est in usu, erit Carbonum 84. Et Medicina comprehendit Libras 64 ac ipsius projectionis unâ super 100.

*De Anno Philosophico & de Reginine Ignis.*

**P**Hilosophorum opus Anno naturali comparatur: Nam ut Annus naturalis in quatuor tempora dividitur: Ita & eorum opus.

*Opus Hyemis.*

**P**Rimum tempus est frigidæ & humidæ complexionis, & vocatur Hyems, & regi debet per ignem primi gradus, qui in hoc carmine describitur:

*Primus formetur ut sensus ei dominetur.*

In hoc primo ignis gradu Mercurius corpus suum solvit. Hunc gradum quidam Philosophi similem affirmant Calori Gallinæ cubantis ova sua

LAPIDIS PHILOSOPHICÆ. 117  
sua ad Pullos procreandos: Alii dicunt quod  
debet esse sicut Calor naturalis digerens cibum  
& nutriens Corpus. Alii ut Calor *fumi*, eò quòd  
Calor iste est temperatus: Alii ut Calor Solis in  
*Ariete* existentis, quia Sol habet ibi principium  
& exaltationem suam, ibique incipit medio-  
criter oriri & calefcere. Et propter hoc dixe-  
runt quidam quod debemus incipere Sole exi-  
stente in Ariete, & Luna in Taurō commo-  
rante. Quæ quidem omnia ad designandum  
Calorem moderatum circa primam nostri ope-  
ris actionem dicta sunt.

Notetis quòd in hac prima Lapidis operatio-  
ne scil. Hyeme, Mercurius mortificatur, & to-  
tum opus vertitur in pulverem, & terra conci-  
pit ut in aliam vertatur naturam, unde in ista  
decoctione fit nigra, quia ex mortificatione  
grossi terrestris in humido generatur nigredo.  
Et hæc nigredo est Color mortis, & eradicatio  
humidi, & durat quatuor Imbibitionibus &  
12 diebus.

Signum perfectæ & compleæ nigredinis est  
manifestatio cuiusdam parvi circuli albi, qui  
circa materiam per latera vasis appetet.

### Regimen Veris.

Scundum tempus est Aëreæ complexionis,  
scilicet calidæ & humidæ, ut est eorum *Ver*,  
quod perficitur per ignem secundi gradus, ut  
hoc Carmen habet.

*Sensibus equato gaudet Natura secundo.*

In hoc secundo ignis regimine Sulphur Mercurium exsiccat. Iste Calor non debet esse fortis, sed mediocris, quia tempore *Veris*, si ignis ultra suum terminum incendatur, herbæ quæ teneræ sunt subito arescierent, & fructus nullatenus perferrent. Hic itaque Calor sive Ignis assimilatur Calori Solis in Tauro discurrentis in *Geminos*.

In hac secunda Lapidis decoctione, scil. *Vere*, producit herbas & flores, & ascendit naturam suam dealbando, quia ex constrictione frigidi humidi in sicco generatur Albedo. Quæ quidem Albedo est Color regenerationis & semi-coctionis siccæ: Cumque Album sit semicoctum, igitur non exigit magnum Calorem: & hæc Albedo durat duabus distillationibus & 24 diebus.

Notetis quod Materia ad Albedinem deducta, corrumpi & destrui nequit.

Signum perfectæ albedinis primæ, scil. totius Materiæ, est Apparitio cujusdam parvi circuli capillaris subcitrini, per Latera quoque yasis circa Materiam apprens.

### *Opus Aestatis.*

**T**ertiū tempus est igneæ complexionis, scil. Calidæ & siccæ & est eorum *Aestas*, & finitur per ignem tertii gradus, ut in hoc Carmine:  
*Tertius excedit sed cum tolerantia ledit.*

*In*

In hoc tertio ignis gradu *Mercurius* fixatur, iste calor debet esse fortis, & assimilatur Calori Solis in Leone; hæc enim est suæ dignitatis Domus: deinde continuetur donec Lapis perfectissimè rubeat, & regali veste induatur ab igne. Cumque rubeum sit complete digestum, ideo exigit ignem fortem, ut totum vertatur in ignem, ut nullum timeat ignem. Tunc enim *Draco noster* in fixatione Solari fulgens, radio cœlestium & terrestrium virtute decoratur.

Recorderis quod quilibet istorum calorum debet duplicare alterum.

Item notetis quod nomina multiplicantur secundum varietatem Colorum in regiminibus apparentium: Nam in Regimine primo cum niger est vocatur Terra, Atramentum, Lutum & nominibus omnium nigrorum & terrestrium Corporum. Deinde cum dealbatur, vocatur Aqua purificata, & nominibus omnium Aquarum Salium & Aluminum, & rerum habentium albedinem: Postquam autem citrinatur, sublimatur & subtiliatur, vocatur Aër, Oleum citrinum, & nominibus omnium spiritualium & volatilium: Deinde verò cum rubescit, vocatur Cœlum, Sulphur rubeum, Aurum, Carbunculus, & nominibus omnium rubeorum pulchritudinem habentium tam in Lapidibus quam in Animalibus & Plantis.

In hoc tertio ignis regimine, scil. Æstate;

apparent fructus, & ascendit in curru igneo ad Calum, & in Paradisum gloriæ, quia tunc appetet rubedo: Quæ quidem, Color est incorruptibilitatis & digestionis completæ: & permanet in omni revolutione post veram albedinem *quinque* decoctionibus.

Signum perfectæ & completæ rubedinis, est Fixio super Ignem, & fusio sine fumigatione.

*Regimen Autumni.*

**Q**uartum autem Tempus est frigidæ & sicçæ complexionis & vocatur *Autumnus*, in quo colliguntur Fructus.

Ad hunc igitur modum oportet te naturas regere, scil. Hyeme solvere, Vere coquere; Æstate coagulare, Autumno autem fructus colligere, hoc est, Tingere.

*Additiones.*

**M**odi loquendi Philosophorum notentur studiosè. Per sublimationem enim intelligunt dissolutionem Corporum in Mercurium per primum ignis gradum, quem sequitur secunda operatio, quæ est Mercurii inspissatio cum Sulphure per secundum ignis gradum. Tertia est Mercurii fixatio in perfectum & absolutum corpus per tertium ignis gradum.

Hinc appetet quod quamvis nostri Lapidis actio unica sit, scil. decoctio cum igne naturali, tamen status caloris tripliciter variatur, ut supra

pra dictum est. Primò enim ignis erit moderatus & durat ad nigredinem, & etiam donec illa in albedinem quandam convertatur. Albedine quadam apparente augeatur ignis gradatim usque ad perfectam Lapidis exsiccationem seu incerationem. Desiccato verò Lapide iterum fortificatur Ignis donec omnia suam debitam recipiant formam & perfectionem. Totum itaque Regimen in temperie Ignis consistit, quia diversitas suorum régiminum est ab ignis diversitate graduum. *Distinus* dicit, In solutione Ignis semper erit levis : In sublimatione mediocris : In Coagulatione temperatus ; In Dealbatione continuus : In Rubificatione fortis & continuus. Si verò in istis per ignorantiam erraveris, casum & laborem deflebis. Sed si gradus ignis bene mensuraveris, operationesque omnes diligenter & cautè direxeris, ad propositum Deo volente pervenies.

Considera etiam quid Rosarius magnus in hanc sententiam adfert : Cavete (inquit) ne solutionem vestram (in Hyeme) acceleretis, perficere illam volentes ante requisitum tempus : nam hæc præcipitatio est signum privationis Conjunctionum. Sit ergo Ignis vester extrinsecus calidus temperatè, ita quòd non excedat Calorem intrinsecum, scil. ut Calor intrinsecus retineat secum suum humidum, quod naturaliter secum trahit, quia si Calor exterior excedit, tunc humidum unctuosum subtili-

terreo mixtum à forti igne evolat, nec in Corpore perseverat. Item Comes Trevirensis de Igne: Scitote, inquit, quod ignis frigidus (hoc est ignis nimis admodum parvus) non alterat nec miscet invicem (ergo nec prodest nec obest) quemadmodum ignis magnus impedit invicem utriusque motum (id est mixturam.) Isaac quoque dicit: Ignis magnus opus destruit: Ignis autem nimis parvus nunquam: Item ad hæc *Maria* dicit, Vehemens Ignis impedit conjunctionem, & Album in rubeum inutilem tingit. Sic ergo Ignis vester temperatissimus ad modum gradus Naturæ corporibus mitis, subtilis, aëreus, clausus, circundatus, perseverans, evaporans, digerens, penetrans, alterans, miscens & frigus excludens.

Recorderis ergo, quod in opere nostro, duplicum habemus calorem, Sulphuris, scil. & Ignis, ut alter alteri subveniat: non tamen est ignis scil. extrinsecus, quo Natura utitur de substantia Materiæ, licet totum Opus regat, quia non est permanens cum quantitate seu pondere Mercurii, nec est addens ad ipsum. Sulphur vero id est Calor intrinsecus proportionalis, simplex, est permanens cum quantitate & pondere Materiæ, quia calor ille est pars integralis & essentialis ipsius *Mercurii*. Item *Aros* inquit; in toto regimine nostro Mercurius & Ignis tibi sufficient, scil. post primam conjunctionem. Meditare itaque de Igne, siquidem aut omnia perficit aut destruit. De

## De Proprietatibus Ignis.

**P**Hilosophorum lotio similitudo est. Ignis enim omnia perficit & præstat.

Ignis commixtionem nostri lapidis congelat.

Ignis frigiditatem Terræ & Aquæ constringit, & ad meliorem complexionem reducit.

Ignis fordes Aquarum abluit, & supersluam humiditatem tollit.

Ignis Solus Aquam & Terram à suis naturis & coloribus mutat.

Ignis cum corpori miscetur, vivificat & illuminat ipsum.

Ignis est res quæ putreficit, & postea facit germinare novas & diversas res.

Ignis poros Mercurii claudit, pondus dat, fistit & fixat.

Ignis virtute sua penetrativa & acuta, centies magis purgat & mundat quam quævis alia res.

Ignis totum Compositum maturat, subtiliat & rubificat. Venenum fætorque tollitur absque additamento aliquo vi ignis, qui solus omnia absolvit.

Ignis qualitatem nostri lapidis mutat, & quantitatem augmentat.

Ignis dispergit malum, salvat & rectificat bonum, & est quasi Judex discernens justum ab injusto.

Si denique omnium rerum proprietates & naturas istius Medicinæ primi ordinis narrarem

rem , omnesque præterea morbos , atque eorum curandorum modos , longum valde tempus requireret.

Nunc igitur ut huic Medicinæ primi ordinis finem imponam , Secreta quædam recitabo , quæ omni Artifici , antequam ad hoc opus diuinum audeat accedere nota esse debent . Aliter ei continget quod Homini cæco , unicam suam ovem nigrum inter mille albas queritanti .

*Secreta.*

**P**rimò Artifici nota esse debent Materialia Medicinæ primi Ordinis ; & corum vera atque exquisita præparatio : Quæ ubi fuerint præparata in ipso primo istius Medicinæ initio : Scire etiam debet veram & exquisitam componentium proportionem , corporis scil . & Spiritus : unde Isidorus Philosophus : Quicunque vult Naturam in omnibus imitari , primò debet proportionare suum pondus . Pondus enim est in prima elementali compositione , & non in alio quovis opere . Proinde Compositio vel conjunctio primo loco sieri debet . Item Bernardus Trevirensis : Nisi Artifex in initio nostrí operis proportionat proportione sagaci & adæquata proportiones , in Vanum laborat . Item *Rasis* in libro magno præceptorum : Qui cunque ignorat pondera , non laboret in libris nostris , quia Philosophi nil suarum rerum posuerunt , nec aliud occultaverunt nisi pondera .

Item

Item *author* perfecti Magisterii: Caveas ne ad condendum vel componendum procedas, antequam inveneris Componentium (scil. Masculini & fœminini) pondera completa, quia secundum componentium ponderum perfectionem erit compositionis operatio: Ratio est, quod si nimis multum de Masculino, hoc est activo poneretur, semen fœmininum confunderetur, & soluto corpore inæquales in fœminino ordinaret qualitates, & materialiter res extra proportionem calcseret, & naturæ suscipierent inconvenientem exsiccationem. Si verò extra proportionem, fœmininum hoc est Passivum abundaret, tunc incrudaret Masculinum, & res maneret sine restitutione, nec Elementum clauderet Elementum, utpote Terra fixa Aquam, Aqua aërem, Aër ignem, vel viceversa à superiori ad inferius resolutio naturalis, quæ contingit, in Medicinæ incertatione, impediretur. Neque enim ignorare debet Artifex tempus compositionis hujus Medicinæ primi ordinis: Nam omnia sub termino certo & dispositione certa condita sunt à summo Opifice: Aut ut Lullus ait: *Natura certum habet ingrossandi & imprægnandi, & certum habet tempus pariendi, certum nutriendi, & certum denique operandi: Et pro istis omnibus sit tibi speculum Creatio Hominis ut inquit Mercurius.* Scire etiam debet in quo particularis prædictum tempus dividendum sit. Et singulariter

gularum partium exquisitum Regimen, prout se ordine consequuntur. Et quid per unamquamque particulam istius divisi temporis denotetur. Scire etiam debet figuram & capacitatem vasorum, ut quantitati materiæ inclusæ commode respondeant, aliter in vanum laborat.

Cavere etiam debet per totam primæ Medicinæ operationem, Vasa, ne ab igne moveantur, nerefrigeretur Materia, secùs faciens opus destruit. Præterea debet in eo favore apud Deum esse, ut montes sciat suo loco dimovere, & in mari immergere. Certò etiam debet cognoscere (propter periculum imminens) quomodo præcavenda sit Materiæ vitrificatio, cum odoribus & sporibus corporum imperfectorum. Scire etiam debet, si materia lateribus & spondilibus Vasis adhæserit, huic malo præfens remedium, aliter periret Magisterium. Neque etiam ignorare debet Artifex singulorum colorum naturales causas. Atque etiam an colorem aliquem extra suum ordinem (quod absit) apparere contingat, discat antequam opus aggrediatur errorem corrigere ne pereat Tinctura per Combustionem. Scire etiam debet exquisitum Regimen, & ignium gradus, qui in hoc Medicinæ primi Ordinis (dum Albedinem tantum respicimus) duo tantum sunt. Scire etiam debet certa signa & tempora continuationis, & qualitates singulorum graduum;

suae

suavissimum enim est , ut Natura secundum debitum naturæ cursum regatur , ne per Calorem nimium , aut ejus defectum pereat Magisterium . Scire etiam debet verum signum , & temporis momentum , quo ignis auferri debet : Nam si Compositum nostrum , plusquam oportet , regatur , ejus Lumen à Pelago sumptum statim extinguitur , nec siet ex eo quod fieri queritur : Ideoque jusserunt Philosophi hoc opus non casualiter sed prudenter , & subtili meditatione regi . Noscere etiam debet proportiones illas intellectuales omnes istius Medicinæ primi Ordinis , quarum Judex non est alius quam Mens & Oculus . His omnibus secretis exquisitè cognitis , poterit ingeniosus Artifex suo Marte (profundâ adhibitâ meditatione) multa alia invenire , quæ hic consultò omittenda censui : Et tunc demum poterit tutò ad praxin istius divini operis accedere .

Sciendum præterea quod hæc primi ordinis Medicina facillimo labore perficitur & absolvitur absque magnis sumptibus , idque omni loco , quocunque tempore & ab omnibus , si modo veram & sufficientem habeant Materiam .

Atque ut finem aliquando faciam : Scopus istius Medicinæ primi ordinis , est manifestare occultum , & occultare manifestum : Quod sit omnia intus & extra mundando .

*Atque hæc de Medicina primi Ordinis sufficient.*

*Medic.*

*Medicina Secundi Ordinis.*

**M**edicina secundi ordinis est illa præparatio Lapidis, quæ immediatè sequitur primam: & vocatur nostra perfecta præparatio: vocatur etiam Fixio, Fermentatio, Lapidis creatio, & perfecta Elementorum conjunctio. Vocatur etiam à Gebero Opus breve.

Per Medicinam ergo secundi ordinis perfectè præparatur Lapis, fixatur & fermentatur. Fermentum autem Lapidis fit ex pura Metallorum materia, id est, Sulphure naturæ & Vapore Elementorum: & fermentum non est quousque Sol & Luna convertantur in suam primam materiam. Quare expedit quod ex Sole & subtilissima terra fermentum debeat componi, & sine fermento nulla fit Tinctura perfecta. Et fermentum Lapidis ad album, est Argentum; & ad rubeum, Aurum. Et sine fermento aut fermentatione, neque Sol neque Luna erit, neque aliquid aliud quod est de eorum natura. Ut ergo Argentum vel Aurum fiat, conjungere debes fermentum cum suo Sulphure proprio, albo vel rubeo, ut poterit generare sibi simile, & in naturâ & in colore, quia quodlibet simile generat suum simile. Fermentum enim ut Sol tingit, & mutat suum Sulphur in Medicinam permanentem & penetrantem: Ideoque dicit Empedocles Philosopher.

phus: Qui noverit fermentum cum Sulphure tingere, ille pervenit ad maximum Arcanum, quod dicitur Sulphur Album.

*Tingere* est tingendo tintum in suam naturam transformare, & secum sine ullâ separatio-  
ne permanere, ut in natura sagentis, tingentis  
& tincti.

Sulphur Album est corpus compositum ex pura Metallorum essentia, quæ alijs dicitur Argentum vivum deductum de eorum potentia in actum, per Magisterium omnium Principiorum Medicinae Primi Ordinis. Notabis quod Elixir Philosophorum completum est Tinctura corporea, ex Corporibus metallicis perfectis extracta per beneficium veræ solutio-  
nis, & perfectæ & naturalis Congelationis.

Vel sic: Est corpus compositum ex specie-  
bus purissimis, & limpidis, & est Antidotum,  
& Medicina omnium Corporum curandorum  
& purgandorum, tam animalium quam Mine-  
ralium.

Elixir Philosophorum Completum, com-  
ponitur ex tribus, scil. Lepide Lunari, Solari  
& Mercuriali.

In Lepide Lunari existit Sulphur Album: In  
Solari Sulphur rubeum: Et Lapis Mercurii  
amplectitur utramque naturam, albam & ru-  
beam. Et est fundamentum totius Artis trans-  
mutatoriae, & fortitudo totius Magisterii:  
Hinc Rasis: Album & Rubeum ex una radice

procedunt, nullo alterius generis corpore interveniente pullulant, id est, ex Mercurio. Item Geber dicit; Quod Lapis Lunaris & Solaris sunt idem in Essentia, quia ex solo Mercurio perficitur uterque: Et Avicenna dicit: Qui ex solo Mercurio noverit elicere nostram Medicinam, id est, Elixir nostrum excellentissimum completum, erit pretiosissimi operis Indagator.

Sed antequam Medicinam hanc Secundi Ordinis aggredimini, summè necessarium est per signa certa tempus determinatum cognoscere, unde primum sumat initium, quod ex sequentibus sententiis facile cognoscetis.

*Sententiae.*

**H**ermes dicit: Cum fumus ille fuerit mundus, & albus, tunc erit aptus conjungi cum sua anima, id est, munditia duorum Luminarium, & corpore, id est, oleo Vitri, alter non.

Rex Hali: Accipe Lapidem, qui ad fundum Vasis descendit, & ablue istum cum igne calido, quo usque auferatur ejus nigredo, & recedat ejus spissitudo, & fac ab eo evolare additiones humiditatum donec deveniat Calx nimis alba, in qua non erit Macula. Tunc enim terra ad recipiendam animam est habilis & depurata.

**Baconius:** Cum autem purus decoquatur, donec veluti oculi Piscium eluscat, Lapis in rotun-

LAPIDIS PHILOSOPHICI. 131  
rotunditatem est congelatus: & tunc ejus utilitas expectanda erit.

In Opere Sorin distinctione sextâ: Dissolve & congela albo igne quoisque videatur sicut gladius denudatus, & fac dealbando corpus esse candidum.

*Author* perfecti Magisterii: Cum non videoas plus de fumo exire per Canalem Distillatorii.

Aut secundum *Seniorem*: Donec nihil de Tinctura in Corpore remaneat quod non ascendet cum Spiritu humido, qui madefecit ea: Tunc enim perfectè abluiſti Corpus à Sordibus suis.

Vel ut dicitur in *Lilio*: Cum nihil exhalationis Spiritus superius ascendat.

Aut ut Nortonus nostras, When it ceaseth simpering. Tunc Vultur clamat.

*Author* hujus libri: Leo noster in Mari nostro est Hydra nostra: Ista comedit capita sua, cum cauda sua, & Caput & Cauda est Anima & Spiritus, & Anima & Spiritus sunt creati de luto, & in eo sunt duo opposita simul, Ignis, scil. & Aqua & istud vivificat illud, & illud perimit istud: Et haec in Hydrâ nostrâ conjuncta simul septies in Mari nostro submergantur, donec universum Mare fuerit exsiccatum: Diligenter igitur putrefacite & abluite, donec Colores non varientur sed terminentur, & donec Materia appareat clara, & sine immunditia nimis alba.

Notetis quod Sol in Mercurium currentem  
versus Spiritus est & Anima. *Hæc enim de signis.*

Postquam te edocui per signa in vase appa-  
rentia, quomodo perfectè scire poteris, Quan-  
do primum hæc Medicina secundi Ordinis inci-  
pit: ut eam adhuc melius intelligas, suadeo  
ut diligenter ea perpendas, quæ sequuntur;  
quæ huic loco attexui, tanquam ad solam hanc  
Medicinam secundi ordinis spectantia.

Sed ante omnia admoneo, ut Regulam hanc  
generalem frequenter animo revolas, & quam  
ob causam eam adjunxerim.

*Regula Generalis.*

**O**Mnis Natura naturaliter perfici desiderat  
& destrui abhorret & fugit. Ergo avidè  
amplectitur illud quod sui ipsius est emenda-  
tivum.

Sed abs re non existimo iterum te breviter ad-  
monere quorsum & quo usque se extendat illa  
Medicina primi Ordinis, scil.

Ultimus Terminus Medicinæ Primi Ordi-  
nis, hoc est, Transmutationis cocti, & crudi,  
scil. ad quem naturaliter tendit Artista, est sub-  
stantia Sulphuris albi non urentis, quod cum  
fuerit conversum, est prima & propinquæ Mate-  
ria nostri Elixiris, prima natura & proxima,  
alterata tamen per Calorem sui Corporis, scil.  
cum illa alteratione per quam magis propriè &  
propinquius possit suam formam suscipere.

Item

Item in floribus Sapientum dicitur, Medicinae primi ordinis quam Natura peragit (est enim opus naturæ) est sola causa simplicis perfectio-  
nis Lapidis ultra quam per se ferme ascende-  
re potest. Huc usque Medicinae primi Ordinis.

Nunc ad Medicinam secundi ordinis transe-  
amus, quæ habet inspirare, tingere & fermenta-  
re primam Compositionem. Unde Calidius  
Philosophus: Nemo potest vel postea poterit  
tingere terram albam foliatam nisi cum Auro.  
Ideoque præcipit Hermes dicens. Seminate au-  
rum vestrum in terra alba foliata: Seminate,  
hoc est conjungite, vel fermentate; Aurum,  
id est, Animam vel virtutem tingentem: In  
terra alba foliata, hoc est in terra, præparatione  
debita facta, alba & munda, in qua non sint  
sordes. Nam si ita præparata non sit, non est  
idonca ut possit suam formam vel animam reci-  
pere, ut conjunctæ siant immortales.

Ex prædictis itaque patet, quod Aurum Na-  
turæ non est Materia fermenti, immo aurum  
Philosophorum, est ipsum fermentum tingens,  
sine quo nequaquam peragitur Medicina secun-  
di Ordinis, quia est sicut fermentum Pastry,  
& sicut coagulum laetis in Caseo, quod coagu-  
lat aquam nostram, id est, Argentum vivum:  
Et est Capistrum Argenti vivi, ut inquit O-  
ziambe. Et metuendus Hermetis Discipulus  
dicit, quod nullus congelat argentum vivum  
congelatione perpetua nisi in Terra alba foliata:

Quæ quidem terra alba foliata est prima Materia Metallorum: Et prima Materia Metallorum est vapor unctuosus: Et Humidum unctuosum est materia nostri argenti vivi Philosophici; & substantia suæ unctuositatis est propria materia Essentialis Sulphuris. Item ista terra alba foliata dicitur Quinta Essentia terræ metallorum: Et ab aliquibus Philosophis vocatur Argentum vivum, vel Sulphur Naturæ: Et Sulphur Naturæ est Spiritus Metallorum sublimatus & conversus in terram foliatam: & est necessarium quod Spiritus exuberatus convertatur in terram foliatam, cuius terræ foliatæ dealbatio est præparatio ejus per sublimationem, quæ est Distillatio, donec fiat alba & lucida.

Præterea ista terra alba foliata vel foliorum, est etiam illa terra pura, subtilis, Sulphurea, sive Argentum illud vivum supra quod Natura suas primas operationes determinavit & imperfecte reliquit. Quod quidem Argentum vivum, naturaliter desiderat perfici, hoc est uniri vel fixari cum forma sua, ut de perfectione sua, in unitate integretur, sicut aliqua propria Materia appetit aliquam propriam formam causa & ratione sui complementi. Et quantò nobilior & melior est Materia, tantò desiderat formam nobiliorem, & quantò nobilior est forma, tantò materiam nobilitat suam: & scito pro certo, quod hæc perfectio, sive fixatio, sive

LAPIDIS PHILOSOPHICI. 135  
nobilitatio fieri non potest, nisi Artifex sit vi-  
gilans & naturam adjuvet. Sunt enim quædam,  
quæ Natura facere non potest, quæ per Artem  
perfici debent.

Ars enim in quibusdam rebus corrigit & su-  
perat Naturam, sicut Juvatur Natura infirma  
Medicorum industria. Item Natura non con-  
ficit domum, nec efficit Electuarium, quo-  
niam de seipsa hæc facere non potest. Ideoque  
dicit Dastinus: Succurrendum est per artem  
quod omittitur per Naturam. Natura enim (si-  
ve opus naturæ) cum gradum quem perficere  
potest, perficit, & illum præterire nequit.  
Tunc Artifex adjuvando naturam ipsam de im-  
perfectione reducit ad perfectionem, ut inquit  
congregatio Philosophorum.

In istam ergò terram albam foliatam, Au-  
rum seminamus cum tincturam auri illi impo-  
nimus: Sed Aurum nunquam potest perfecte  
aliud corpus tingere quam seipsum. Hinc Ari-  
stæus, Tu vero nisi aurum in auro ponas, ni-  
hil agis, & certè hoc non potest fieri, nisi per-  
ficiatur Arte: Unde metuendus Hermetis di-  
scipulus: Natura continet in se ea quibus indi-  
get, sed non perficitur nisi arte moveatur &  
operatione. Item Ramundus: Quamvis Lapis  
noster jam in se tincturam naturaliter continet,  
nam in Corpore Magnesiæ, id est, in terra alba  
foliata, perfecte creatus est, id est, simpliciter  
perfecte creatus est, tamen per se non habet Mo-

## 136 VERA CONFECTIO

tum ut fiat Elixir compleatum nisi perficiatur Arte & operatione. Item Geber in operatione radicum: Ad hoc sit operatio, ut melioretur tinctora auri in auro, plusquam est in sui natura. Et etiam ut fiat Elixir juxta Sapientum allegoriam ex speciebus limpidis compositum, Condimentum, Antidotum, & Medicina omnium Corporum curandorum, purgandorum & transformandorum in Solificum & Luminificum verum. Atque haec Ingenioso sufficiant.

*Sed* ut tibi melius satisfiat, paucas adhuc adferam sententias, ut superiores, tantum ad Medicinam secundi ordinis spectantes, & tandem in Cujusdam mihi Prædilecti gratiam non recusabo integræ istius rei Secretum apertius revelare, scil. Quomodo Aurum nostrum seminari debet in auro, id est, in sua propria terra. Quæ nihil aliud est quam Mercurius purus, qui, aut cum tota sui substantia ab igne evolat, aut cum tota sui substantia in igne permanet, stans, tingingens, permanens.

*Notabis de Mercurio puro:* Mercurius purus est quædam Materia vel substantia propria Argenti vivi & Sulphuris, fumosa, & subtilissima ex natura prædictorum, scil. Argenti vivi & Sulphuris per nostrum Artisicium generata Limpidissima, & clara, tanquam lachryma, in qua latet & habitat Spiritus Quintæ Essentiae, id est, Quinta Essentia Metallica: Non autem est ista substantia ipsum Sulphur, nec ipsum

ipsum Argentum vivum, prout sunt in natura sua in Mineris suis sed est quædam pars istorum scil. duorum, quæ non sunt Argentum vivum neque Sulphur, ut dicit Geber. Quæ quidem substantia prædicta, fumosa & volatilis (in propria substantia existens) in aliam quam Argenti vivi & Sulphuris naturam fixam & firmam quæ est ignem patiens, & ipsum non fugiens, sed in eo perseverans, figitur & mutatur. Vel sic, quæ prius per decoctionem temperatam & continuam, per operationem nostræ Artis, (cum aliis ad hæc convenientibus) coagulatur in Lapidem fluentem, figentem, tingen-  
tem, & in igne perseverantem.

Item Notabis quod Principium hujus rei, id est, Mercurii puri sunt duo. Materia scil. & agens: Materia autem est Argentum vivum & Sulphur, seu Arsenicum quod idem est. Agens autem est Calor, qui est Instrumentum movens ipsam Materiam ad corruptionem, & non est aliud agens in Mundo.

Item notetis quod iste Mercurius purus, super quem Natura fundat suam actionem & operationem, est Argentum vivum & Sulphur deductum, seu productum ad quandam naturam aquam, subtilissimam, clarissimam, albissimam, & amoenissimam, quam vocant Argentum vivum: & ad quandam terream materiam subtilissimam per nostrum Artificium, quam vocant Sulphur, quod mirabiliter occultave-

runt Philosophi. Est autem istud Argentum vivum, & istud Sulphur una res & de una re exit. Quòd autem sit una res patet, quòd Philosophi nominant dictum Argentum vivum Sulphur, & dictum Sulphur Argentum vivum: Unde Atbohali: Sciatis hujus Artis Investigatores, quod fundamentum Artis propter quod multi perierunt, una res est. At Averroës dicit: Venerabilis utimur natura: Natura est una tantum quæ omnia superat: Et multa talia dixerunt Philosophi, ad ostendendum & demonstrandum, quod Mercurius noster Purus est una Sola res, & de una re exivit. Et Geber: est Lapis unus, Medicina una, in quo totum Magisterium consistit.

Item notetis quod iste Mercurius purus, sicut omne Corpus Elementatum, habet in se calidum radicale, seu formale, causa cuius persistit, & est ejus fixum quo persistit & quo multiplicatur ejus semen; & hoc in Auro est ejus Sulphur: In Argento ejus, Argenteitas viva fixa: In Mercurio ejus aqua honorata fixa, quæ dirigunt Materiam ad finem, & formam & speciem debitam.

Item notetis quòd hoc honorabile fixum est præparator rerum à principio usque ad finem, & est illud quod manifestat tincturam in projectione, & est Mediatrix inter contraria, quæ numquam possunt concordare quòd uniantur in unum, nisi esset hoc honorabile fixum, quod vadit

vadit confusè per omnia Elementa, & participat cum qualibet suarum naturarum. Et nisi illud esset, non esset intentio alicujus sapientis, in aliqua radice sapientiæ. Et est Principium, Medium, & Ultimum, & facit pacem inter Inimicos.

Item Notetis quod iste Mercurius purus, est illa subtilis media substantia Mercurii, ex qua nostra conficitur Medicina, & ex illa debet creari immediatè, quæ ex Argento vivo ducit Originem: quæ situm bonum, in quo est æqualitas fixionis vel spissitudinis, & æqua proportio duorum Componentium, argenti vivi scil. & Sulphuris Metallici.

Item Notetis quod iste Mercurius purus est illa Materia de quâ loquitur *Baconis* in speculo suo dicens, Eligenda est Materia, in qua est Argentum vivum, mundum, purum, clarum, album & rubrum non ad complementum perductum, sed commixtum æqualiter & proportionabiliter ad modum debitum cum Sulphure tali, & in massam solidam congelata: ut postea cum Ingenio, & prudentia nostra, Igneque nostro *Artificiali* ad munditiam suam intimam & ad ipsorum puritatem pervenire possimus, & talem efficere, quod ipsa (post operis complementum) sit millies millesies fortior & perfectior quam ipsa Corpora simplicia Caliditate naturali decocta.

Item Notetis quod Mercurius ille purus, est prima

## 140 VERA CONFECTIO

prima propinqua & proxima materia Lapidis, quia continet in se fixi naturam mundissimam qua fixatur, atque spiritualem naturam puram, dignamque substantiam nostri Lapidis nobilissimi. Loco enim fixi Sulphur est ibi sicut Calor complexionabilis in substantia Argenti vivi, & sicut virtus spermatis masculini quod inest in spermate Mulieris, & sicut alia virtus generativa, & unum non potest fixari sine alio, sicut Materia sine aliquâ formâ.

Item Notetis quòd iste Mercurius purus est res media inter perfecta & imperfecta corpora: & quòd natura ipsa in eo incœpit, hoc per *Artem* ad perfectionem dducitur. Et si in ipso Mercurio operari incœperis, ubi natura reliquit imperfectum invenies in eo perfectionem, & gaudebis. Intelligens prædicta apprehendit Sapientiam. Sed ad Sententias.

Albertus Magnus dicit: Illuminandum primò est Corpus, antequam impones animam, quia aliter nunquam potest suscipere, aut in se retinere Spiritum.

Nisi enim Corpus (per Operationes Medicinae primi ordinis) illuminatum, id est, à corruptentibus causis purificatum fuerit, animam imponere non debes, hoc est fermentare non debes; quia quamdiu aliqua Corruptio inest in aliqua re, non potest tolerare ignem, nec ignis po-

LAPIDIS PHILOSOPHICÆ. 141

potest pati Corruptionem. Quare antequam ut præsumas imponere animam , necesse est ut Corpus sit Magistraliter mundatum ab omnibus suis scœulentiis corruptibilibus , quo usque sit purum Elementum primæ rci : Tunc enim facile animam recipiet , diligit atque retinebit illam. Quæ quidem Anima in gremio sui proprii Corporis latet. Sed si hanc Arte impo-nendi in Corpore Animam Artifex ignoraverit (natura enim hoc facere non potest) procul dubio Anima ab Igne volat , & habet secum corpus ad volandum , & tunc operantis operatio frustrabitur , & ad nihil revertetur.

Theophilus : Philosophorum intentio est , ut Argentum vivum album vel rubéum Sulphuri sui generis misceatur & absque dubio non fugiet. Argentum ergo vivum mundum , Argento vivo mundo sui generis jungite : Quo peracto maximum habetis Arcanum. Hinc apparet quod postquam prædicta scil. continens & contentum , perfectè conjunguntur , fiunt unum maximum Arcanum quod ignem superat , & ab igne non superatur , sed in eo amicabiliter quiescit , eo gaudens , quia igneæ est Naturæ , & in igne generatum. Hanc igitur veram , perfectam & ultimam Conjunctionem , si artifex ignoraverit , non est quod operetur : Illa siquidem ignorata , reliquum inutile erit : Hanc etiam ex notitia causarum naturalium discessit.

discere nemo potest ; proinde verè divina & supernaturalis à Philosophis dicitur.

*Maria Mosis soror* : Matrimonifica gummi cum gummi vero Matrimonio , tunc enim sunt duo in carne una , scil. postquam fuerint ab omni sorde depurati perfectissimæ.

Tunc enim per minima sunt commiscibilia , & primò recipit virtutem tingendi : ideoque etiam facit hoc matrimonium Artifex , ut fiat vera , & perfecta , Colorantis & colorati , hoc est transmutantis & transmutati fixio.

Author hujus libri : Quando omnia per principia Medicinæ primi ordinis alterata , sublimata , subtiliata , & præparata fuerint : Tunc conjungere debet Artifex duas aquas , Sulphur ac ejus Mercurium , Animam & corpus , Solēm & Lunam , Masculum & Fœminam , duo Spermata , & (ut ita dicam Argenta viva , & ex istis Argentis vivis fit Mercurius ille purus suprà commemoratus , ex quo solo dicunt Philosophi Lapidem suum constitui , quod Philosophi astrorum de Mercurio Naturali sunt hallucinati . Is vero Mercurius est masculus & fœmina , & monstrum Hermophroditum in ipso Animæ & Corporis matrimonio . Fac ergo desponsationem inter Virum & Mulierem , & habebis Magisterium : quia tunc Spiritus fixus est in Corpore , & Luna Soli incorporata ; & per minima mixta . Et sic Completur Opus .

Accipe Sulphur Album , & ipsum fige super  
Cor-

Corpus suum album, fixum, & mundatum, id est supra Argentum: & Sulphur rubeum supra Corpus suum rubeum, scil. supra Aurum. Unde Pythagoras in Turba: Qui Argentum vivum à Corporibus dissolutione, sublimatione, & subtiliatione, extractum, non coagulat Sulphur album vel rubeum, omnem sustinens ignem, id est, ut sit fixum, nullam viam habet ad albedinem vel rubedinem.

Prudenter igitur & non casualiter oportet operatorem operari, quoniam prædictum Sulphur, neque Sol neque Luna erit, neque permanebit in Essentia naturæ Metallicæ, si ipsius non fixerit, ut possit generare sibi similem, & etiam ut fiat Elixir completerum, id est, quod componit.

Plato: Cum Corpus mundatum fuerit, & cum Spiritu incorporatum, & sublimatum, tunc ambo facta sunt vapor unctuosus, & ab urentibus substantiis spoliatus, Aër subtilis, nimiæ penetrationis, anima à vitiis & inquinamentis liberata, quia juncta suo corpori mundato, mediante Spiritu, id est, Aqua Mercuriali purificata, transit in Ens purissimum, & incorruptibile.

Cum igitur Anima (prima præparatione completa) conjuncta fuerit suo Corpori Mundato, non desinit in id agere, ipsum totaliter penetrando, quo usque totum convertat in Ens purissimum & incorruptibile. Et ista Conjun-  
Etio-

Eto fieri debet in ipsam hora nativitatis Lapidis, ut inquit *il. 5. Secretorum libro*: Quicunque nostrum Lapidem non invenerit horam suam nativitatis, non est quod alium expectet ejus loco. Nam is qui Divinum opus nostrum aggreditur absque notitia determinatae nativitatis ejus horae, nil in opere suo consequetur unquam praeter inutiles labores, & poenas ignorantiae suae.

**Moricenus:** Secretum hujus Magisterii quod hic in unum breviter collegi, & collectum tibi exposui, est; Quod hujus rei pars una, mille partes Argenti in Aurum purissimum convertit.

**Avicenna:** hoc idem testatur cum dicit: Grave est projicere super mille millia & ultra, & illa in continentia penetrare & transformare: Quare Ego Vobis unum secretum magnum & occultum jam tradam: Commiscenda est pars una cum partibus mille corporis vicinioris: Et hoc totum includatur firmiter in uno Vase, & apto: Quod sic exponimus:

Commiscenda est, id est, figenda est, Pars una, id est, Corpus perfectum calcinatum: Cum partibus mille vicinioris Corporis, id est, cum Spiritu humido ab omni sorde mundato: & hoc totum includatur firmiter, id est, figura tur firmiter: In uno Vase, id est, proprio cor pore & apto, id est, mundato.

Notatis quod illud quod perfectioni vicinius est, facilius ad perfectionem deducitur:

Quid

Quid autem sit corpus vicinus, & quæ sunt corpora remota; si per ea quæ in hoc libro revealavimus, non intelligis; lege Rogerum Baconum in suo Speculo.

*Marienus*: Sinite stultos querere, & quærendo errare, quoniam ad perfectionem non pervenient, donec Sol & Luna, (id est Spiritus & Animæ) in unum Corpus (hoc est in terram conjunctive) convertantur, quod fieri non potest ante diem Judicij. Notetis ergo quod hæc Medicina scil. Secundi Ordinis, vocatur etiam Dies Judicij, quia propter perfectam conjunctionem, aut verum matrimonium, fit etiam separatio Electorum à damnatis. Nam pulvis ascendens à fœcibus superius, est Cinis à Cineri, & terra extracta, sublimata, honorata & electa. Quod verò remanet inferius est Cinis Cinerum, & cinis inferior vituperatus, damnatus, fæx & scoria corporum abjicienda, in quâ nil vita habetur, quia est pulvis levissimus, qui modica sufflatione evanescit, quoniam est Sulphur pravum à natura exclusum. Et quidquid non erit de pura veritate Elementorum omnino annihilabitur in illo die Judicij: Et tunc clementa (supra fœces damnatos residentia) manebunt clara, pura, fixa, in terra resplendente sicut Chrystallum: Quæ quidem terra non timebit ignem, quia incorrupta est facta.

*Senior*: Quando vis fermentare; misce Sulphur sublimatum cum suo corpore optimè pur-

gato , ut totum fiat fermentum , quoniam fermentum reducit Sulphur Artis seu Philosophorum in suam naturam , Colorem , & saporem per omnem modum , scil . de potentia in actum .

Si enim Sulphur non fuerit sublimatum , substantiam ingredientem , & virtutem penetrantem non habebit , & per consequens ad componendum verum Elixir non valebit , quia in sua permanens densitate , & corporeitate , non miscetur rebus tingendo , nec eas poterit in formam metalli perfecte transmutare . Comisce ergo ipsum Sulphur , id est , fermentum cum suo Corpore mundato , ut generare possit sibi simile . Si vero hoc non feceris , non fiet Elixir , neque figetur , nec contra ignem praeliabitur .

Hinc apparet (sicut per praedicta) quod permixtio fermenti sit cum corpore mundato , & non cum corpore immundo ; quia ut dicit *Eduardus* in perfecto Magisterio : Lapidés non recipient se ad invicem , nisi fuerint ab omnibus suis succulentis corruptibilis perfectissimè purificati : id est , donec media substantia Mercurii & Sulphuris Corporis (in primo Opere) fuerint à suis immunditiis perfectè mundati : id est , horum Coniunctio non est possibilis , nisi prius Spirituales fiant , id est , per mutationem utriusque à sua virtute & proprietate , id est , per conversionem suarum naturarum , tunc permiscetur omnimeđa coniunctione , id est , per mini-

minima. Et quando fuerint sic mutati, & purificati, tunc debent fermentari, quia tunc simile applaudet suo simili, propter concupiscentiam adhaerentiæ materialis Materiæ & formæ Sulphureæ.

*Fermentatio quid sit.*

**F**ermentatio est animantis incorporatio, saporis restauratio, odoris inspiratio, & Entium suppletio. Et causa inventionis ejus est tangentis & tinti, de potentia in actum reductio.

Notetis quod in omni fermentatione maxime cavendum est de vasibus ne frangantur. Scias hoc quia est magnum secretum.

*De Fermentis.*

**F**ermenta multiplicita sunt, simplicia & composita.

Fermenta simplicia sunt illa, quibus nihil est admixtum, sicut sunt Elementa per se simpliciter sumpta, ut sunt animæ extractæ à suis Corporibus.

Fermenta composita sunt: Quando quædam cum aliis miscentur, ut sunt Corpora in naturam Sulphuris reducta, cum suis oleis conjuncta.

Sunt etiam fermenta Sulphurea Corporum imperfectorum, quæ dicuntur fermenta media: sed scito pro certo: quod si corpora perfecta

nescis reducere in Mercurium , & in suam primam materiam non poteris neque fermentum simplex neque compositum: & si dicta fermenta non habueris , Lapidem ad suum finem perducere non potes.

Notetis quod duplex est Materia prima : Quædam est propinqua , quædam verò remota : Materia propinqua est Argentum vivum , Remota est Aqua , quia argentum vivum prius fuit Aqua & postea argentum vivum : Sed Reductio corporum perfectorum particulariter in Mercurium & in suam materiam primam , nihil aliud est , nisi congelatæ Materiæ perfectæ & fixæ , albæ & rubeæ Resolutio ; per quam resolutionem seratum aperitur propter ingestionem unius naturæ in aliam .

Item notetis quòd fermenta debent esse optimè præparata , antequam ad fermentationem accedas .

Præparatio fermentorum ante fermentationem est , quòd debeant transire per principalia regimina convertentia nostri Magisterii : Nam opus est tibi ut primò fiat pulvis calcinatus per liquefactionem : secundò pulvis dissolutus per dissolutionem : tertio pulvis bene induratus per congelationem : quarto pulvis sublimatus per separationem .

Sed in indurando & mortificando consistit secretum nostrum , quia sine illis nullum corpus simplex poterit perfectly figi . Et nisi perfectam

LAPIDIS PHILOSOPHICI. 149  
fectam fixionem alteratarum rerum feceris, Aurum vel Argentum non erunt, ut superius dictum est.

Item Cinis Argenti in opere Albo & cinis Auri in opere Rubeo fermentum est: Et Argentum & Aurum Philosophorum est aqua eorum, & aqua eorum est fermentum Corporis & corpora eorum sunt terra eorum, & fermentum hujus aquæ divinæ Cinis est, quia est fermentum fermenti. Et sic pulveris fermentum nihil aliud est quam argentum & aurum, sine quibus (complctive) Elixir non peragitur, quemadmodum Pasta absque fermento non fermentatur, quoniam Complificans Tinctura-  
rum & Spirituum est.

Conjunge ergo Argentum cum Argento, & Aurum cum Auro, id est, Aquam cum Cincere, vel fermentum cum fermento: Et tunc Regem nostrum cum sua Uxore Diademate insignitum ab igne venientem honorate.

Hinc colligi potest quod quicquid veritatis continetur in hoc secundi Ordinis Medicina consistit in Jungere sive in Conjugere humidum sicco, statim & immediatè post eorum præparationem. Et hoc ab omnibus Philosophis conceditur. Pro Humido intellige Spiritum liquidum ab omni forde mundatum: & pro sicco intellige corpus purum & calcinatum: Et revera postquam conjunguntur, nunquam per aliquod Ingeniorum genus ab invicem fe-

parantur. Nisi habeatur illud ex omnibus unum cui datum est, per quod possunt iterum in Materiam primam resolvi, & totaliter corrumpi.

Idem confirmat Geber in libro examinum, his verbis; Si Sol & Luna insimul (*Arte*) incorporentur, non separantur de facilis, propter naturæ suæ vicinitatem, & sic unum appetit reliquum, eò quòd unum siccum sit aliud verò humidum. Sed postquam unum adeptum est aliud, adeò se forti nexu complectuntur, & se invicem continent, quod unum ab altero defacili avelli non possit, quia cum forma conjugatur suæ materiæ certe avidissime se complectuntur, & perfectum magis perficit perfectum minus, & hoc naturaliter, & amicabiliter, cò quòd omnis natura perfici appetit, & destrui abhorret naturaliter.

Notetis quod Materia & Forma ejusdem speciei esse necessariò debent.

Præterea ad hanc Medicinam secundi Ordinis spectat illud Hermetis. Scitote (inquit) rumorum inquisitores & sapientiæ Filii, Quod Vultur supra montem existens in Cacumine, voce magna clamat, inquiens, protege me, & ego protegant te: Largire mihi jus meum ut te adjuvem. Sol enim mens, & radii mei intimi sunt in me: Luna verò mihi propria est, & lumen meum omne lumen superat, ac mea bona omnibus bonis sunt sublimiora. Me igitur

LAPIDIS PHILOSOPHICI. 151  
tur Matri & suo pectori juncto, nihil melius ac  
venerabilius in Mundo fieri potest, quia suam  
substantiam quiescere & micam contineri Essen-  
tiam tunc facio. Unde Ænigma:

*Mater me genuit, & per me gignitur ipsa.*

Ipsa enim primò dominabitur mihi, de cæte-  
ro dominabor sibi, quia Persecutor Matris  
meæ sum factus postquam ab eâ cœpi volatum.  
Ipsa tamen sicut Mater pia nutrit & clare con-  
servat filium quem genuit, donec ad statum  
devenero perfectum, hoc est ad Albedinem per-  
fectam: De qua Albedine *Morianus* sic dicit:  
Quicunque animam dealbaverit, & eam sur-  
sum ascendere fecerit, & Corpus benè custo-  
dierit, & ab eo omnem obscuritatem abstule-  
rit, & odorem malum ab illo extraxerit, ipsam  
in Corpus infundere poterit. Et in hora Albe-  
dinis sive conjunctionis Lapidis, maxima ap-  
parent miracula, id est, omnes colores qui in  
Mundo excogitari possunt, subito apparent.  
Diversitas enim Colorum non appetet in Lapi-  
de nostro nisi in conjunctione Animæ cum  
corpo, ut dicit *Morianus*: In unâ tantum vice  
Ignis in eo innovat diversos colores, & tunc fir-  
mantur, & in unum colorem scil. Albedinis  
conveniunt. Albedo enim est operis Philo-  
sophici initium & fundamentum. Nam posca  
errare non poteris in decoctione, quia post  
dealbationem uterque fugiens scil. Anima, id  
est, Mercurius, Corporis & Spiritus, Mercu-

rius vivus in non fugientem terram vertunt, & faciunt eam spiritualem, mundam à terrestriestate, Aëriam & subtilem, & sic Spiritus & Anima non uniuntur cum corpore vero in eo, nisi in albo colore.

Tunc enim Corpus imperfectum coloratione firma coloratur, fermento mediante, quod fermentum est anima Corporis imperfecti, & Spiritus mediante anima cum corpore conjugitur & ligatur cum eo simul in colorem fermenti, & fit unum cum eis.

Et sic in corpore imperfecto primò extrahitur illud scil. eorum purum ab impuro, subtile à grossō, suaviter cum magno ingenio, id est, Calore debito, & nutritivo.

Deinde desiccatur & fixatur & erit Mortuum. Postea verò fermentatur & reviviscet per fermentum quod est anima: & hinc remanet Materia sicut Cinis: Et vocatur Lapis noster perfectus, Lapis rotundus, Arbor argentea, Argentum lytargirium, id est, benedictus Philosophorum Lapis, Medicina, Rosa alba, Elefsir seu tinctoria argentea non deficiens, quia in qualitate temperatus quatuor Elementa Lapidis concorditer exaltantur & fixantur.

Sed cum Elementa fuerint sic exaltata, subtiliata, fixata, & fermentata, cum ignibus suis successive diligenter continuatis, & cum moderamine noctae ignitionis, quam natura exigit, tunc facias ignem fortē continuatum per diem

diem naturalem: Secundâ verò die naturali, fortiorē: Et Tertia die naturali adhuc fortissimum, ut est ignis fundendi, vel quasi. Et illud est opus trium dierum.

Notetis quod cum Elementa divisa & mundicata, fuerint fixata & fermentata: Accipe eorum particulam, instar hordei, & pone super laminam ignitam, si fluit & tingit laminam suo Colore intus & extra, & furnum non emitit, bene est. Si verò non, scias aliquod nocumentum accidisse in præparatione, aut ex brevitate temporis, aut ex debilitate caloris simi aut ex nimia quantitate Spiritus volatilis, aut ex ejus paucitate.

Sed cum opus eò sit perductum, ut juramento (uti paulo ante dixi) opus sit. Si Artifex ignorat, vel exquisitum tempus, & adjurandi modum, permanebit vacuus à proposito, & expectat quod jam venit, & jam recessit, & nunquam de cætero est venturum quod illi mirum videbitur. Hinc Morienus: Vide ne hanc radicem præterreas, nec aliquæ ejus quæras mutationem: Ratio est, quia si tempus nativitatis & procreationis Lapidis præterieris, pars volatilis secum defert partem fixam. Quare oportet Operatorem industrium ac vigilem esse, ne terminum & horam nativitatis Lapidis prætereat; sed subito conjungat ei proprium Corpus, quod fermentum vel venenum appellamus. Unde Hamech: Cum nostra Materia (naturâ ope-

rante) pervenit ad terminum suæ simplicis perfectionis , conjungi débet suo mortifero veneno , quod illum trucidat & fixat. Et certe venenum hoc est valdè magni pretii , ut *Hali*, *Moricus*, & reliqui omnes idem attestantur.

Aliter enim quam per istam admirandam & plusquam supernaturalem conjunctionem, haud quaquam efficere possumus , ut in igne opus permaneret fixum. Hæc enim conjunctio , statim & in momento , fixat & indurat , Mercurium & quodlibet Metallum debitè præparatum tingit in perfectam albedinem , vel rubedinem secundùm Medicinæ qualitatem. Et de hâc admiranda & divina conjunctione Geber sic dicit : Si quis noverit Argentum vivum conjungere & amicari corporibus ille invenit unum de secretis naturæ secrctum, & unam viam perfectionis.

Item *Senior Philosophus* dicit , si sciveris dare ignem igni , Mercurium Mercurio , sufficit tibi. Alio loco idem dicit : Qui Argentum vivum sciverit occidere & mortificare , Magister & Philosophus in hoc opere appellatur. Hoc enim est illud opus quod non pervenit ad Artificem duræ cervicis , quoniam sine perfectâ ejus cognitione Mercurius in Lunam vel Solem fixari & verti nequit. Atque in hoc consistit Meta totius Magisterii. Præterea hæc est illa perfecta præparatio Lapidis , quæ absque manibüs

LAPIDIS PHILOSOPHICI. 155  
nibus perfici non potest. Scias, hoc, quia est  
magnum secretum.

Notandum etiam est quod inspirare, vivifi-  
care, seminare, imponere, mittere, miscere,  
jungere, infundere, incorporare, convertere,  
commiscere, Matrimonium contrahere, dare,  
desponsare, fermentare, occidere, mortificare,  
congelare, fixare, & tingere opus est unum,  
unius tantum rei, in unico vase. Nam quod  
Mercurium congelat & fixat, id quoque tingit  
eundem, una & eadem praxi.

Atque finalis scopus istius Medicinæ Secun-  
di Ordinis est: Reducere Lapidem in terram  
fixam, spiritualem & tangentem.

*Atque ista ad Secundi Ordinis Medicinae Cogni-  
tionem sufficiant.*

---

### *Medicina Tertiæ Ordinis.*

**M**edicina tertii Ordinis est illa præpa-  
ratio Lapidis, quæ à Philosophis  
maximo in pretio habetur, & vocatur  
*Iteratio* sive multiplicatio. Unde Philosophus:  
Totius operis summum Arcanum est dissolutio  
Physica in Mercurium, & in primam materiam  
reductio. Philosophi materiam à natura præ-  
paratam & coctam accipiunt, & reducunt in  
primam materiam, siquidem quæcunque res  
redit in id ipsum ex quo traxerit originem,  
quemadmodum Nix in aquam inseparabiliter  
resol-

resolvitur. Sed ut Tertiī Ordinis istius Medicinæ plenaria habetur cognitio : Ista Quinque inter alia secreta sunt scitu valdè necessaria.

Primum est, quod Sapientes Annos in menses redigunt, Menses in septimanas, has vero in Dies.

Secundum est quod Philosophi pro Maxima seu Axiomate observant rem quamcunque siccam, citò ebibere suæ speciei humiditatem.

Tertium est, quod citius agit in suam humiditatem quam antea.

Quartum est: quod quanto plus terræ fuerit, tanto minus aquæ erit. Hinc Solutio citius & melius fiet.

Quintum verò secretum est quod omnis solutio sit secundum convenientiam : Et omne quod dissolvit Lunam, dissolvit etiam Solem.

*De Dissolutione nostra & quonodo fiat.*

**D**issolutio nostra est materiæ nostræ siccæ & fixæ in aquam resolutio; & causa inventionis ejus est, ut suum intrinsecum fiat extrinsecum, & ut conveniens sit ad distillandum.

Modus autem faciendi nostram dissolutionem talis est: Postquam Lapis noster in igne est factus, & ab omni sorditie, id est, purgatus ab omni Impuritate: Nota, id est, post dealbationem, & Philosophicam spiritualem ablutionem tibi in præcedentibus satis declaratam: Tunc tere ipsum in pulverem subtilem valde in uno Lapide, & firmiter fixa ipsum. Deinde in

in aceto nostro cælestino solve, & certe solvetur (suo certo & determinato tempore) in Aquam clarissimam, & quali fontanam: & postquam Lapis omnino fuerit solutus, tunc distilla nostra distillatione, sicut in Medicina primi ordinis docetur, fortiter claudendo os vasis cum luto Sapientiæ, ut Mercurius noster exhale non possit: Et Coagula temperato calore: & ultimò calcina secundum modum suum: & scias quod in ista dissolutione Lapidis, una pars multò plures partes Mercurii vel cujuscunque Corporis in Lunam veram vel in Solem, secundum quod Lapis fuerit præparatus, tingit; & hæc solutio nostra est secretum nostrum, & Sapientiæ perfectio.

Notabis quòd cum solvimus, insimul sine intervallo vel temporis spatio præparamus, sublimamus, calcinamus, mundamus, conjungimus, componimus & separamus.

Item notabis quòd in omni dissolutione Physica debes mittere tres res: Rem quæ humectat, quæ dividit & quæ lavet: & cum illis fac omnes solutiones, scil. Lavationem, Distillationem, Fusionem, Subtiliationem, Indurationem, Cerationem, & Triturationem: Intellege hic illas res unam esse in Essentia, tres tamen in actione.

Item Notetis quòd in omni dissolutione Physica usque ad 15 solutiones & coagulationes, secundum *Authorem Rosarii minoris*, fit in-

158      VERA CONFECTIO  
incorporatio dissoluti & disolventis, & ibi debet fieri Corpus Spiritus, & Spiritus Corpus.

Item Notetis quod in omni dissolutione Physica tria præcipuè summo studio sunt perquirenda, scil. Pondus, Mensura Temporis, & Ignis: quibus ignoratis, procul dubio operam & oleum perdis.

*Multiplicatio nostra quid sit.*

**M**Ultiplicatio nostra non est aliud nisi augmentatio & multiplicatio Caloris naturalis, qui est Sulphur non urens in Materia Argenti vivi, cum sit certum quod Argentum vivum sit Materia Metallorum in substantia, in qua sua Claritas est infixa. Quia Metalla non indigent nisi natura substanciali: & substantia in qua Tinctura Sulphuris infigitur, oportet quod sit de materia servata ab omni adustione, amabilis & placens omnibus metallis. Et quod dicta substantia sit talis quod possit fixari sine consummatione suæ propriæ humiditatis, & sine combustione suæ propriæ substantiaz: & ideo necesse est, quod tinctura Sulphuris sequatur talem substantiam, & in eâ colligatur, si vis quod sit Tinctura Metalorum: Et totum hoc est Argentum vivum: Quare dicitur quod illud Argentum vivum cum Ignitione est causa multiplicationis & perfectionis omnium Metallorum. Et Metalla sunt id, ex quorum Spiritu omnis Lapis albus

& rufus

& rubeus componitur; & Spiritus Metallorum est id in quo naturæ metallorum quiescunt, & ille Spiritus consideratione Archimistarum dicitur Argentum vivum, & illud Argentum vivum est materia Metallorum in substantia, ut superius dictum est.

*Regula Generalis.*

**N**isi corpora perfecta in Mercurium currantem, & aquam sicciam reducantur, multiplicari non possunt, nam ex perfecto nil sit; quia, jam perfectum est, prout Natura & Artificium nostrum perfecit.

Exempla: Panis fermentatus & coctus est perfectus in suo statu vel esse, & ad suum ultimum finem pervenit, nec eò plus poteris fermentare: Sic est in Argento in opere albo, & in auro in opere rubro. Argentum vel Aurum purum deductum est per examen ignis in corpus firmum & fixum, & eo amplius fermentare est impossibile apud Philosophos: Nisi habeatur prima Materia Metallorum, in qua resolvatur Argentum vel Aurum in primam Materia, & in Elementa miscibilia. Recipiamus ergò illam Materia unde erit Aurum vel Argentum, & mediante Artificio nostro deducitur in verum fermentum Philosophorum, & mutemus hoc cum ingenio in materiam perfectam, vel in speciem Corporum perfectorum: Et tunc demum incipiamus novam operationem,

nem. Quare in hoc multi laborantes , etiam Philosophice sunt decepti , quia opus dimit- tunt , ubi esset iterum incipendum. Hinc *Hermes* : Heu vobis, Doctrinæ filii , qui speratis fructum colligere , antequam maturus est , & speratis Metere ante Messem.

Igitur postquam perfeceris nostram Medicinam albam , hoc est post primam revolutionem ad albedinem completam : tunc divide illam in duas æquales partes , quarum unam multiplicabis pro Medicina alba , cum aqua sua diligenter reservata , & sic numquam declinet esse ejus. Alteram vero partem poteris etiam multiplicare pro Medicina rubea. Et hæc duæ Medicinæ duobus modis poterint multiplicari. Primo modo per solutionem & iteratam coagulationem , hoc est corruptendo Lapidem per distillationem & putrefactionem , & per Elementorum conjunctionem , & inhumationem in Aëre , vel in terra , & per decoctionem aëris & ignis communis. Et hæc solutio est Lapidis nostri multiplicatio virtualis in bonitate. Solutio enim Medicinam nostram magis subtiliat , & ad altiorem gradum reducit. Item scito pro certo quod quanto plus solvitur Lapis noster & congelatur , tanto plus Spiritus & Anima conjunguntur & retinentur ab ipsis , & qualibet vice tinctura multiplicatur. Tamen soluta non bene operatur , nisi prius figatur in suo fermento.

Secundæ

Secundo autem modo per fermentacionem & fermentum ad album est Luna pura; & ad rubeum, Sol purus: ut haec fermentatio est, ejus multiplicatio in quantitate. Fermentatio enim Medicinam nostram reducit ad suam naturam, Colorem & Saporem, scil. de potentia in Actum. Nam in opere albo Medicinas dealbat, & multiplicat, Spiritualitatem corroborat, combustionem annihilat, Tincturam continet ne fugiat, & se invicem facit ingredi, & conjungi, quod finis est Operis.

*Alia Medicine Tertiū Ordinis Descriptio.*

**U**T hanc Tertiū Ordinis Medicinam tibi clariū explicem, sic accipe. Oportet omnino quod de Corpore fiat Mercurius, hoc est quod fixum fiat Volatile cum Volatili hoc est cum Mercurio mundo.

Ponam exemplum de glacie: Si glacies ponitur in aquam simplicem, solvitur in ea per calorem, & redit in primam substantiam aquam: Et sic Aqua tingitur ex virtute occulta quae fuit in glacie: Si autem glacies non resolvitur per Calorem in aquam, non conjungitur aquae, sed in aqua jacet, nec illam aquam tingit sua virtute, quae in ea antea coagulata fuit ex parte specierum. Sic eodem modo, si Corpus non resolvitur in Mercurium cum Mercurio, occultam virtutem ex eo habere non potes, scil. Sul-

phur digestum & decoctum per opus Naturæ  
in nostra Minera.

Cum itaque Medicinam nostram albam prima vice sublimando fixaveris, tunc reducitur super ipsum suum proprium Spiritum: Ita ut simul commisceantur, & liquefiant per secretum Naturæ in Vase Philosophiae: Nam cum aliquantis per in Igne steterint, vincit fortius illorum, convertens totum in Spiritum sibi similem. Tunc conjunge ipsam cum Spiritu, & generare poteris sibi similem; nec conjungas ipsam cum quovis alio ut convertat ad se, nisi cum eo de quo fuit in principio: Ratio est, quia Sulphura Sulphuribus continentur; & humiditas cum simili humiditate. Nam Spiritus convertens Sulphur in Spiritum sibi similem, factus est uterque fugiens, & Spiritus Aërius Aërem simul scandentes se diligunt: Unde *Her-mes*: Portavit illum Ventus in ventre suo, quia generatio Geniti nostri fit in aëre, & natus in Aëre sapienter nascitur, quoniam spiritualis efficitur. Ascendit enim à Terra in Cælum, iterumque descendit in terram conquirendo vim superiorem & inferiorem. Unde *Arnoldus*: Oportet à Terra exaltari filium nostrum ad Aërem in Cruce; sic enim oportet ipsum pati, & tunc per conjunctionem intrare in Gloriam suam: Intrare in gloriam autem suam, est impossibile nisi occupaveris ipsum. Occupatio vero est ut conjungas ipsum cum corpore illo,

L A P I D I S P H I L O S O P H I C I . 16;  
de quo sumptum fuit ab initio , quoniam in eo  
occupatur à fuga Spiritus ad supersistentia Cor-  
poris : Coniunge ergo opus tuum cum corpo-  
re , ut generet sibi simile , quia natura non con-  
tinetur nisi in sua natura.

Iterum quando Philosophi viderunt illud  
quod erat fixum cum Spiritu fugiente factum  
esse fugiens , toties reducebant super Corpus ,  
& ita posuerunt in id ipsum , ut ambo fugere  
non potuerint propter propinquam naturæ suæ  
convenientiam. Anima certe corpus proprium  
citius ingreditur , quam si in alio mitteretur :  
Quod si immittere studieris in vanum labora-  
bis , quoniam nulla est Affinitas inter Tenebras  
& lucem. Ad idem ergo Corpus , ex quo ani-  
mam extraxerunt ipsam reducebant , & insimul  
præparabant : Et tingens & Tingendum unâ  
Tincturâ facta sunt. Non putas tamen illud  
quod tingit & fugit veram esse tincturam Phi-  
losophorum , quia Sulphura tingunt & fugiunt ,  
nisi simili Argento vivo juncta sit. Quare ju-  
bemus Argentum vivum album commisceri  
argento vivo albo , & una tinctura alba fixa  
sunt. Et scito quod ab omnibus operantibus  
deficit propositum , si hoc omiserint secretum.

Tunc iterum dissolve in aqua Mercurii &  
sublima quo usque fiant aqua clara ; deinde ex-  
sicca & fixa , tunc denique remove ab igne , &  
permitte totum infrigidari : Facta enim est pax  
supra Isræl , quia hæc Medicina in summo suo

## 164 VERA CONFECTIO

gradu ad Album est præparata, stans, penetrans, tingens, profundans, consolidans, perseverans, velocissimè fluens, & omne Corpus à perfectione diminutum, & etiam Argentum vivum in verissimum Argentum; Quia ut dicit Rasis, Morienus & Alsiiduus: Terra quotiescunque fuerit dealbata, sit fixa propter fixionem Lunæ, & ideo tingit in Lunam: Sed postea in opere est saltus Lunæ, id est sublimatio humiditatis lunaris, & circulus Solis, quia post extractionem Spiritus solaris à corpore suo, terra sit fixa fixione Solis, & tunc tingit in Solem: Quia ut dicit Plato: Sicut omni Argento inest Sulphur album, sic omni Auro inest Sulphur rubeum, & tale Sulphur non reperitur super terram, ut dicit Avicenna, sicut in ipsis duabus corporibus. Et hanc ob causam ista duo corpora solvimus & subtiliter præparamus, ut Sulphur ut Argentum vivum de illa materia habeamus super terram; de qua Aurum & Argentum efficiebatur subtus terram. Ipsa namque Corpora lucentia sunt, quibus insunt radii tingentes, qui tingunt cætera corpora in albedinem, & rubedinem verum sine admixtione alterius rei extrance. Argentum itaque est Tinctura Albedinis, & Aurum est Tinctura Rubedinis, cum ipsis namque corporibus, scil. Argento & Auro miscetur Mercurius & figitur per ipsa maximo Ingenio quod non pervenit ad Artistam grossi ingenii.

## De Tinctura rubea &amp; ejus Multiplicatione.

**U**T rubea tinctura eliciatur, solummodo Solis fermento animandus est Mercurius, sicut alba solo fermento Lunæ.

Item pro rubeo faciendo dicitur: quod debet fieri eodem modo & simili regimine in omnibus, sicut in dealbando fecisti, ita quod non debet iterum à principio incipi, sed tantum multiplicari. Et pro solutione & exsiccatione corporis addatur tantum Mercurii crudi, & non plus quam in dealbando fecisti: Calor tamen suo tempore augeatur.

Sed nisi primò dealbaveris, verum rubeum facere non potes: quare necessario oportet ut prius sit album antequam rubeum fiat. Quia sicut impossibile est de primo pervenire ad tertium, nisi per secundum: Sic de nigro non poteris accedere ad citrinum vel rubeum, nisi per album: quoniam Citrinitas ex multo albo & modicum rubeo componitur essentialiter. Dealba ergo Nigrum & rubifica album, & habebis Magisterium.

Hinc itaque diligenter notandum est: Quod si argentum vivum mundum & purum, coagulatum fuerit per vim Sulphuris albi non urentis, illud erit res optima quam recipere possunt Alchimistæ, ut ex eo faciant eorum Aurum. Et sic concluditur quod sine Sulphure albo non urente, Aurum Philosophorum fieri non posset,

test, eo quod Sulphur optimum, cum rubore clarum, non potest fieri rubeum, nisi prius fuerit album. Ideoque tradiderunt Philosophi primò compositionem Sulphuris albi ad Argentum, & postea Sulphuris rubei ad aurum, quia non potest fieri aurum, nisi prius fuerit Argentum. Sulphur autem album, ex purissima Argenti vivi substantia habetur, ipsum enim solum continet in se totum quo indigemus. Oportet ergo Artistam constantis esse voluntatis in opere, nec pluribus uti rebus, sed solum Complemento intendere; quia in rerum multitudine Ars nostra non perficitur. Cum igitur Albedo in vase apparuerit, & in omnibus supereminuit, certus est, quod rubor in illa albedine occultatur, & tunc non oportet illam albedinem extrahere, sed coquere, quoisque totum rubeum fiat. Et certè Color rubedinis solum efficitur ex digestione completa. Ergo per solam decoctionem post albedinem perverries ad rubedinem, ignem siccum continuando: Nam sicut Luna postquam plena est, de die in diem incipit diminui, donec de ipsa nihil appareat: sic albedo & illuminatio nostri Corporis albi incipit diminui per decoctionem, donec tota albedo diminuta sit, & appareat rubedo per citrinitatem, quæ penitus apparebit; si non remansit aliquid de illa humiditate aquosa quæ mittit albedinem: si vero remanserit aliiquid de illa humiditate aquosa, quæ mittit albedi-

bedinem, tunc non est facta exsiccatio: siccetur ergo donec deveniet, & tunc bene erit. Cui rei, & illud *Hippocratis* in Aphorismis: Inanitio, siquidem oportet fieri, fiat, confert, & bene erit: Si verò non, è contra. Glossa inanitio, id est dissiccatio: Hinc *Hermes*: Ponite ignis ipsius humiditatem, & in humido ignem habitare facite, qui ignis sua caliditate hujusmodi manifestæ humiditatis caiorem augmentat, & occultæ siccitatis combustionem, donec in finem ducatur: id est, rubeum fiat. Item in floribus Sapientum dicitur: In fine exibit tibi Rex suo diadematè rubeo Coronatus, fulgens ut Sol, clarus ut Carbunculus, foris effluens ut sera, perseverans in igne & penetrans. Item Dastinus dicit: Igne sicco & calcinatione sicca decoque siccum donec rubeat, ut Cinabrium. Item de hoc idem: Combure, id est, desicca ipsum absque timore, donec rubicundissimo vestiatur colore, & nolito ab opere cessare, quamvis rubor aliquantulum tardaverit apparere: Quia sicut prima digestio stomachi omnia dealbat, sic secunda hepatis omnia rubificat: Unde apparet quòd Igne augmentato post albedinem ex primis coloribus habebis rubedinem, medio tamen tempore inter istos colores apparet Citrinitas, sed ejus Color non est stabilis, quia post illum mox oritur rubrum, quo eveniente, scito opus tuum esse conpletum, quoniam tunc habebis Mulierem conversam

in Masculum, & omne incompletum in solifidum verum: Et tunc vocatur nostra Tyriaca perfecta, Lapis rotundus, Arbor aurea, vellus aurum, Aureum Lytargyrium, id est, Benedictus Philosophorum Lapis, Medicina, Rosa rubea, Elixir rubeum, seu Tinctura rubra non deficiens. Tunc etiam completur doctum Philosophi dicentis: Si Sulphur fuerit mundum, purum, cum rubore clarum, & fuerit in eo vis igneitatis simplicis non urens, erit res optima quam recipere possunt Archimistæ, ut ex eo faciant Aurum. Hoc enim Argentum vivum & omne Corpus imperfectum convertit in Aurum.

Nunc ad rem ipsam veniamus: Accipe illam partem reservatam pro Medicina rubea, & ponere ipsam in suo vase, id est, in furno suæ digestionis, & sublima illam quoisque lavetur, & levetur totum.

Notetis levetur totum: Quod si non eveniat, addatur ei non fixa partis quantitas, ut pars volatilis superat partem fixi, quoisque ad elevationem partis fixi sufficiat neque plus neque minus, quia si plus fuerit, fact pelagus Conturbationis, si vero minus, comburetur in favillani. Ideo opere, mensura & pondere cuncta rege. Cumque pars fixa elevari incipit, reiteretur ejus Elevatio vice post vicem, quoisque per hanc elevationem & ignis augmentationem in rubicundissimam Medicinam conver-  
tatur:

tatur: tum denique per modum fixionis firmiter fixa illam; & scias quod quoties pars fixa cum Spiritu non fixo elevatur & figetur, toties multiplicabitur non solum in quantitate, sed etiam in virtute, & tincturæ subtilitate.

Tunc iterum conjunge cum Mercurio crudido, & per ingenium tibi notum eleva, quo usque iterum elevetur & figatur totum.

Deinde addendo novum humorem exalta seu eleva, & iterum fixa. Tunc fusionem præstabit facilem ad Ceræ modum, citissimè enim liquefiet in igne, & congelabitur in Aëre, quia fumus cum senserit ignem, penetrabit in corpus & spiritus constringetur in siccum, eritque corpus unum clarum & rubeum. Et scitō, quo magis exaltas seu elevas opus suum, eò plus valebit, & plura pondera convertet. Non ergo mittas opus elevare, & quantum poteris subtiliare: & certe causa suæ finalis liquefactionis, est suarum partium in igne subtiliationis: Nam quicquid ex Mercurio in natura propria ad fixionem reducta magis solvitur, magis subtiliatur: Ideoque quod maxime solvitur, maxime subtiliatur, ergo & maximè valet. Et postquam Medicina fuerit soluta & subtiliata, aufer ab igne ad refrigerandum, fixandum, & conge landum, indurandum, vel desiccandum: & sic per hos modos solutionis, subtiliationis, elevationis, reiterationis & fixionis, habes nostrum Excellentissimum Lapidem rubeum,

L 5 fixum,

fixum; stantem, per minima ingredientem corpora, velocissimè fluentem, instar aquæ fixæ super ignis pugnam, tingentem Mercurium, & omnia corpora à perfectione diminuta in verissimum Aurum: Nam quò magis resoluta fuerit Medicina, & congelata, eò perfectior erit. Et talis resolutio est Medicinæ subtilatio, & ejus virtualis multiplicatio, quæ quanto plus reiteratur, tanto abundantius & plures partes tingit. Ad plenum autem multiplicatur Medicina, si ad quartam revolutionem completam, per sublimationem confixetur: tunc enim per quatuor Elementorum compositionem, trinum regimen, per septem Planetarum aspectus, species & corpora, per duodenorum signorum mutationem, & per Monadicam quandam singularem atque extremam unionem, glorificabis in Trinitate & unitate Dei filium: Id est lucem Mundi, qui ex binaria inferiore hanc nostram Astronomiam perfecit, & ex quatuor mutationibus Anni sphæram exornavit, & post quatuor Monarchias introducit eos qui vocati sunt, & electi in Requiem æternam, Laudantes unicum & indeficiens Lumen, in una Sola Trinitate.

Excellentia nostræ multiplicationis dependet in reiteratione solutionis, sublimationis, & fixionis Medicinæ perfectæ. Nam quotiescunque solveris & sublimaveris Medicinam perfectam, toties decupabitur Virtus ejus in Pro-

Projectione: quoniam in omni solutione & fixione, acquirit sibi decem in multiplicazione: ut si primo cadit super mille; secundo cadet super decem millia: tertio super centum millia: quarto super millia millium, & sic usque in infinitum: Quia humiditas Medicinæ perfectæ non est terminabilis.

Causa horum omnium est triplex: Bonitatis, Necessitatis & Perfectionis. Bonitatis, ut abundantius tingat, ut melius perficiat, & ut plura convertat. Necessitatis, ut melius coloreatur, melius figuratur, & sibi simile generetur. Perfectionis, quia Medicina perfecta habet convertere Mercurium in perfectissimum. Aurum & Argentum, secundum Medicinæ qualitatem Numerus perfectus est denarius, centenarius; & millenarius: Ideo à principio ad ultimum facies projectionem.

Item Causa quare Medicina completa multiplicari poterit in infinitum, hæc est. Ipsa namque est sicut granum seminatum in terram bonam, & sicut Ignis in lignis, & sicut Muscus in Aromatibus bonis. Nam quanto magis fuerit seminata & usu contrita, tanto magis est crescens: Ideo in omni projectione oportet partem aliquam reservare ad multiplicandum, quoniam ditatus eris ab illa; sicut qui habet ignem ditatus erit ab igne.

Jam nostram complevimus Medicinam in caliditate & frigiditate, humiditate & siccitate,  
aqua-

æqualiter temperatam: unde quicquid illi opponitur, erit ejusdem complexionis cui opponitur: ut si illi Aquam posueris totum solvetur in Aquam: si verò ignem, totum ignis erit.

Et finalis scopus illius Medicinæ Tertiæ Ordinis est, ut corpora perfecta aperiantur cum prima aqua, & fiant subtilia, ut aqua secunda melius possit ingredi ad operandum suum opus: quod est exaltare terram in saltem mirabilem sola virtute sua attractiva.

#### *De Differentia trium Medicinarum.*

**M**edicina Primi Ordinis tantum mundificat, & tingit corpora quoad apparentiam, quia ejus tinctura in Examinatione Cineritii reddit.

Medicina Secundi Ordinis mundificat & tingit corpora, non solum quoad apparentiam sed etiam quoad existentiam, quia ejus Tinctura fixa est: Sed tamen sine Utilitate.

Item Medicina Primi Ordinis, vel primus præparationis gradus Lapidem nostrum mundat & purificat ab impuritate corrupte, & ipsum reddit purum & volatilem.

Medicina Secundi Ordinis Lapidem nostrum fixat & hoc appellamus secundum præparationis gradum.

Medicina Tertiæ Ordinis, vel tertius gradus Administrationis, Lapidis est, ut fixum Lapi-

Lapidem faciamus Volatilem, & volatilem fixum: Et haec est ejus Multiplicatio.

Primus gradus est opus Naturæ: secundus Artis. Tertius Naturæ & Artis.

Item Medicina Tertiæ Ordinis est duplex, scil. Lunaris & Solaris: Est tamen in Essentia una, & in agendi modo similiter: & ideo à Veteribus Unica Medicina nuncupatur. Differunt tamen, quia in Medicina Solari est additamentum citrini Coloris, quod à Sulphuris fixi mundissima causatur Essentia.

Item Medicina Tertiæ Ordinis, major Ordo appellatur, quia majoris sagacitatis industria in illius administrationis & perfectionis, præparatione, & labore longiori ad veritatis complementum egit: Et ideo non diversificatur hujus Ordinis Medicina à Secundi Ordinis Medicina, nisi per subtilissimos præparationis gradus in creatione illius, & per diuturniorem laboris instantiam.

Medicina itaque Primi Ordinis opus unum nuncupatur, Secundi vero medium; Tertiæ vero magnum. Et hæc ad omnium Medicinarum differentiam sufficiunt.

*Res principales & necessariae ad opus pertinentes  
sub Numeris.*

**E**T si in hoc Tractatu, cæteris omnibus faciliori, & methodo ab aliis diversa, materia Lapidis Philosophici aperte, dilucidè, ac copiosè

copiosè demonstravimus , ejusque Regimen etiam usque ad consummationem deduximus. Attamen ut enucleatiùs & breviùs totum Ar-canum , maximumquè Dei donum omnibus benè merentibus notum fieri æquum ce:suimus. Placuit hos numeros addere 448. 344. 256. 224. absque quorum intelligentia Artifex nunquam optatum sortietur finem. Qui potest capere , capiat. Nunc testamur per pretiosissimi Lapidis Authorem , quod quicquid Sapien-tes involutum suis Ænigmatibus , & noctis ca-ligine tradiderunt , nos jam apertè revelavi-mus. Si quis igitur ad notitiam & perfectionem Inventionis tanti & tam mirandi Thesauri omnium maximi pervenerit , per Sacro-San-ctum Dei nomen ipsum obsecramus , adjura-mus & constringimus , ut illum sinceræ mentis probitate inviolabiliter custodiat , ne filiorum sapientum panem canibus projiciat.

*Brevi Recapitulatio Trium Medicinarum.*

**P**RIMÒ componimus , Compositum putre-facimus , Putrefactum solvimus , Solutum dividimus , Divisum mundamus , Mundatum unimus , unitum separamus , separatum distil-lamus , distillatum purificamus , purificatum figimus ; & sic completur Medicina Primi , Se-cundi , & Tertiī Ordinis.

*De Virtutibus hujus admirabilis Scientiae seu  
Tinctura Philosophica.*

**P**laton inquit: Qui habet istud Dei donum, secretum habet naturæ maximum, super omne pretium pretiosissimum secretum, Thesaurus incomparabilis & pretiosissimus. Item Herizartem Philosophus dicit, qui habet hanc scientiam, incomparabilem habet Thesaurum, & in salubri constellatione natus est in hoc sæculo, Dives divitiis infinitis super Reges & principes hujus mundi. Item Hermes dicit: Qui hanc artem semel perfecerit, si deberet vivere mille millibus Annis, & singulis diebus nutrire quatuor millia hominum, non egeret.

Hoc confirmat Senior dicens: Est ita Dives habens scientiam, de quâ Elixir fit, sicut qui habet ignem, potest dare ignem cui vult, & quando vult, & quantum vult sine suo periculo & defectu, quoniam ad finem divitarum pervenit, & naturæ vinculum confregit: Non tamen ex eo quod habet potestatem convertendi omnia metalla imperfecta in purissimum Sollem & Lunam; sed magis ex eo quod Hominem & quodlibet Animal præservat in conservatione sanitatis. Lamina verò Chryftallina, quæ est Elixir album, si detur in quantum granum Sinapis febricitanti, curat ipsum: etiam si Leprosus per quatuor Anni tempora de eadem lamina purgatus fuerit, curatur: & de Pulve-

re rubeo Ratis Philosophus inquit; Quod si datum fuerit de eo in potu tepido, Paraliticis, Phreneticis, Hydropicis, Podagricis, Leprosis, hi ex toto, postquam sudaverint, sanabuntur. Et uterque pulvis albus & rubeus sanat Sciaticos in periculo mortis: sanat etiam paralysin: Item si uterque pulvis teneatur ad nares in Partu laborantium, liberantur, foetumque mortuum emplastrando educit, hoc dicit Hermes. Rugas quoque in facie & omnes maculas in facie ungendo dclet, & faciem juvenilem facit.

Geber quoque dicit: Quod Elixir rubeum curat omnes infirmitates chronicas, de quibus Medici desperaverunt. Et facit hominem juvenescere ut Aquila, & per 500 Annos vivere & amplius, ut aliqui Philosophi fecerunt, qui usi fuerunt eo tribus vicibus in Hebdomada quantum granum sinapi.

Est herba quæ vocatur Saturnus de Canibus, de qua fit talis Medicina.

Alii Philosophi dicunt, quod hæc Medicina omnem infirmitatem ab intra sumendo curat, ab extra sanat ungendo: Hinc verò Passio Cardiaca, Oethica, Iliaca, Colica, Icteritia, & morbus Aegidii cum Epilepsia, & omni specie febrium per hanc Medicinam curantur: Arthritica etiam, per eam ungendo curatur. Guttamque Rosariam, saepe ungendo, relidit; & quicquid est in ægroti stomacho, hoc tollit, & omnem fluxum humorum peccantium

con-

constringit, & consumit potando vel ungen-  
do, omnemque Melancholiam sive Mantis  
mœstiam jejuno stomacho sumpta repellit :  
omnemque fluxum Rheumaticum exsiccat. Vi-  
sum quoque ac omnes sensus acuit & ingenium  
miro modo super omnes Medicorum Medi-  
cinas.

Alii Sapientes dicunt, quod hæc Medicina  
præbet surdis Auditum, & omni dolore Au-  
rium inflaturis succurrit : Nervos compactos  
ungendo rectificat, Dentes corrosos restaurat  
lavando, Foetorem anhelitus dulcorat, Olfa-  
ctum perditum restaurat : Cor & Spiritualia  
confortat potando ; Dolorem Capitis mitigat  
in temporibus urgendo : Granum, Tela, Al-  
bugo & Hugo, cornu & ungula, Cateracta,  
Inventio palpebrarum, Æstus nec non tene-  
bræ. Hæc omnia per hanc Medicinam facilli-  
mè curantur : est etiam infirmorum oculorum  
sanatrix optima ; nam fluxum lachrymarum  
stringit, lipposos attenuat, ruborem depellit,  
pellem vel tunicam delendo mollificat, &  
oculorum inflaturas sanat. Sanantur etiam per  
eam omnia genera Apostematum, ungendo  
vel emplastrando : Ulcera, vulnera, cancer,  
Fistula, Noli me tangere, Antrax, Serpigi-  
nes, Impetigines, strameones, scabies, pruri-  
tus, Tinea, per eam sanantur. Cicatrices per  
ipsam planantur ita ut caro nova regeneretur.  
Vinum corruptum & acidum, si permiscetur,

reparatur. Calculus etiam solvit, si bibatur, omneque venenum, sumendo expellit. Nec non multa alia bona corpori humano monstrat & ministrat, quia hæc Medicina est super omnes Medicinas, Hippocratis, Galeni, Alexandri, Constantini, Avicennæ, & aliorum Doctorum omnium artis Medicinæ præstantior in odore, sapore, virtute & effectu. Et est notandum quod hæc Medicina, est semper Medicina Apothecæ ad morbum depellendum permiscenda.

Item Lullius dicit, quod omnes infirmitates quæ à vertice Capitis usque ad plantam pedis generantur, si fuerint unius mensis in die, si unius anni in duodecim diebus, si ex longo tempore in Mense curantur, quia sicut curat omnia metalla infecta ab omni infirmitate sic & humana corpora.

Quapropter noster Benedictus Lapis non immerito Tyriacus major, tam Corporum humanorum quam Metallorum à Philosophis dicuntur: De quo *Hermes* pater Philosophorum ait: Si de Elixir nostro omni die usque ad septem dies sumperferis, pondus carboiarum capilli tui tam de Capite tuo cadent & renascentur nigri. Et ita de fene fies juvenis & fortis.

*Arnoldus* quoque dicit, quod Lapis noster virtutem habet efficacem, omnem sanandi infirmitatem super omnes alias medicinas Medicorum: Nam animam lætificat, infirmitatem & vir-

& virtutem roborat, omnem corporis ægritudinem expellit, juventutem conservat, & seniem revirescere facit. Non enim permittit sanguinem putrefieri, nec phlegma superdominari, nec cholera aduri, nec Melacholiam superexaltari. Immo sanguinem supra modum mundificat, caput Rheumaticum à fluxu purgat, memoriam inducit, ebrietatem prohibet, stomachum in calore naturali confortat, venenum à Corde declinat, arterias humectat, contenta in pulmone dissolvit, & ulceratum consolidat, humidum radicale augmentat, Urinam provocat, Lapidem frangit, coitum excitat & auget, contenta in Spiritualibus purgat, & ea munda conservat, & omnia corporea membra efficaciter restaurat, & à lœsione custodit; & generaliter omnes tam calidas quam frigidas, tam siccas quam humidas infirmitates arctissime sanat præ omnibus aliis Medicinis Medicorum, eò quod occultæ & subtilis est Naturæ. Et si Ægritudo fuerit unius mensis, sanat uno die: si unius Anni, in 12 diebus; si vero antiqua fuerit ex longo tempore sanabit in uno mense. Et breviter omnes a malis expellit humores, bonosque inducit; Conservat Amorem & Honorem ipsum defensantibus, securitatem & audaciam, & in prælio victoriam.

Et hæc est probata Medicina Philosophorum, quam omni investiganti fideli & pio

M. 3. præ-

180 VERA CONF. LAPID. PHILOSOPH.  
præstare dignetur Dominus Noster Jesus Christus , qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat Deus per infinita sæculorum sæcula.

*Atque hic finis esto explanationis trium Gebri  
Medicinarum, quæ nunquam hactenus  
ita perspicue fuit tradita.*



EX.

EXPERIMENTA  
DE  
PRÆPARATIONE  
MERCURII SOPHICI  
AD  
LAPIDEM,  
Per Regulum Martis Antimoniatum Stel-  
atumque & Lunam  
*Ex Manuscripto Philosophi Americani, alias*  
*ÆYRENÆI PHILALETHES, natu An-*  
*gli, habitatione Cosmopolitæ.*



EXPERIMENTA  
DE  
P R A E P A R A T I O N E  
Mercurii Sophici ad Lapidem,  
Fer Regulum Martis Antimoniatum & Lunam.

*Arcanum Arsenici Philosophici.*

**A**ccepit Draconis ignei partem unam & Corporis Magnetici partes duas præparavi simul per ignem torridum & quinta præparatione factæ sunt Arsenici veri circiter ʒvij.

*Arcanum preparandi Mercurium cum suo Arsenico ad fæces amittendas.*

**R**ecipiebam Arsenici optimi partem unam, feci cum Dianæ virginis partibus duabus connubium in corpore uno, minutim trivi & cum hoc præparavi Mercurium meum elaborando simul omnia in calido, usque dum optimè incorporarentur, purgavi tum per urinæ salēm ut deciderent fœces quas scorsim collegi.

*Deperatio Mercurii Sophici.*

**M**ercurium præparatum, & tamen exer-  
na immundicie inquinatum in suo pro-  
prio Alembico cum sua cucurbita chalibeata ter  
vel quater distilla, tum sale urinæ lava usque  
quo clarescat, nullamque in cursu suo caudam  
selinqusat.

*Alia Purgatio optima.*

**C**ape salis decrepitati ac scoriarum Martis  
Cana 3. 10. Mercurii præparati 3i. fl. tere  
salem & scoreas minutissime in marmore tum  
Mercurium impone & cum acetō contere us-  
que dum nihil appareat, corpori vitro impo-  
ne & distilla per Arenam in Alembico vitro  
usque dum Mercurius totus ascenderit, purus,  
clarus ac splendidus hoc tertio reitera & Mer-  
curium optimè præparatum ad Magisterium  
habebis.

*Arcanum iusta preparationis Mercurii Sophici.*

**S**ingula præparatio Mercurii cum suo Arsc-  
nico, est Aquila una, purgatis pennis A-  
quilæ à Corvina nigredine, fac & volet, septimo  
volaū, parata est ad usque volatum decimum,

*Arcanum Mercurii Sophici.*

**A**ccepi Mercurium debitum & commiscui  
acum suo vero Arsenico, nempe circiter  
3iij. Mercurii & feci consistentiam tenuem  
commixtam purgavi pro more debito & distil-  
lavi & habui corpus Lunæ purum, unde co-  
gnovi me rite præparasse; postea addidi ponderi  
suo, Arsenicali & augebam pondus pristini  
Mercurii, in tantum ut Mercurius prævaleret ad  
fluxum usque tenucin; & sic purgavi ad tene-  
brarum coniunctionem, fere ad Candorem  
Lunarem, tum sumpsi Arsenici 3 fl. cujus de-  
bitum

bitum feci connubium , addidi hoc Mercurio desponsato & facta est temperatura instar Luti figulinii parum saltem tenuior , purgavi hoc iterum debito more laboriosa erat purgatio , longo tempore per salem urinæ feci , quem optimum in hoc opere comperi .

*Alia Purgatio adhuc melior.*

**I**Nveni meliorem purgandi viam per Acetum & Salem purum marinum , sic intra diem dimidium Aquilam unam præparare possum ; pri-  
num Aquilam volare feci & relicta est Diana cum modico æris . Incepi aquilam secundum , superflua removendo & tum volare feci , & ite-  
rum relictae sunt Dianæ Columbae cum æris tintura : Aquilam tertium conjunxi & purga-  
vi superflua removendo ad candorem usque , tum volare feci & relicta est pars magna æris cum Dianæ columbis ; tum volare feci bis seorsim ad omnimodam extractionem omnis cor-  
poris ; deinde quartum Aquilam coniuncti ad-  
dendo plus & plus de humore suo gradatim &  
facta est consistentia temperata valde in qua  
nullus Hydrops qui in unaquaque trium prio-  
rum Aquilarum .

Optimam inveni viam præparandi Mer-  
cūrium Sophicum talem . Maslam amalgamatam  
debito connubio desponsatam quam intime li-  
cet impone crucibulo & furno Arenæ ; statuo  
ita tamen ut non sublimetur per horam dimi-

M 5 diam ,

diam, tum eximo, & strenue tero, deinde iterum furno impono in crucibulo & post horæ quadrantem aut circiter, iterum tero, mortarium quoque calefacio: hoc opere Lucidum amalgama incepit pulverem copiosum expuere impono crucibulo iterum, & ad ignem ut primus pono per congruum tempus, ita ut non sublimetur, alias quo major ignis eo melior; sic continuo igniendo & terendo donec fere totus ut pulvis appareat, tum lavo & facile re-jicitur fæx & ad unum colligitur amalgama, deinde sole lavo, rursusque ignio teroque hoc ad omnimodam abstersionem fœcum repeto.

*Tentamen triplex bonitatis Mercurii præparati.*

**C**ape Mercurium tuum præparatum cum suo Arsenico Aquilarum 7. 8. 9. vel decem Phiolæ impone cum Luto Sapientiae lutabis & in arenæ furno colloca stetque in calore sublimationis sic ut ascendat & descendat in vitro usque dum coaguletur spissius paulo quam butirum, continua ad perfectam coagulationem, usque ad albedinem Lunæ.

*Aliud Tentamen.*

**S**i cum sale Urinæ (vitro agitando) sponte in pulverem album convertatur impalpabilem sic ut Mercurius non appareat & sponte iterum coalescat in sicco & calido in Mercurium tenuem est satis, melior tamen est, si cum aqua fontana sic in capita imperceptibilia transf-  
eat,

SOPHICI ad LAPIDEM. 187  
seat, si enim granum corpus incit, non ita in  
partes minutas convertetur & separabitur.

*Aliud Examen.*

**D**Istillia in Alembico vitro ex Cucurbita  
Vitreæ, si transeat & nihil post se relin-  
quat, bona est aqua mineralis.

*Extractio Sulphuris à Mercurio vivo per separationem.*

**C**ape tuum compositum corporale & spiri-  
tuale mixtum, cuius corpus per digestio-  
nem ex volatili est coagulatum & Mercurium  
separa à suo Sulphure per vitreum distillatorium  
& habebis Lunam albam fixam aquæ forti re-  
sistenter & vulgari Luna ponderosiorem.

*Sol Magicus ex hac Luna.*

**E**X hoc Sulphure Albo tu per Vulcanum ha-  
bebis Sulphur flavum operatione Manuali  
qui Sol est plumbum rubrum Philosopherum.

*Ex hoc Sulphure Aurum potabile.*

**T**U hoc Sulphur flavum in oleum conver-  
tes rubicundum instar sanguinis circulan-  
do cum menstruo volatili Mercuriali Philo-  
phico; sic habebis Panacæam admirandam.

*Coniunctio grossa menstrui cum suo Sulphure ad  
Prolem ignis formandam.*

**C**ape Mercurii præparati, purgati, electi  
optimi Aquilarum 7:8. 9. aut decem ad  
summum; misce cum Sulphure rubente latone  
præparato, id est aquæ partes duas aut ad sum-  
mum

188 PRÆPAR. MERC. SOPH. ad LAPID.  
mum tres ad unam Sulphuris puri purgati triti  
partem. N. B. melius est ut sumas duas partes  
ad unam.

*Elaboratio mixture manuali Operc.*

**H**anc tu mixturam minutissime super mar-  
more teres deinde aceto & sale Armonia-  
co lavabis usque dum omnes nigras fœces depo-  
suerit; tunc aqua fontana omnem falsedinem &  
acrimoniam elues, tunc exsiccabis charta mun-  
da fundendo de loco in locum & cum apice cul-  
tri agitando usque ad siccitatem exquisitam.

*Impositio fætus in Orum Philosophicum.*

**J**am exsiccatam hanc mixturam impones vi-  
tro ovali vitri optime transparenti magnitu-  
dinis Ovi Gallinæ, materia in tali vitro ȝij. ne  
excedat sigilla Hermetice.

*Regimen Ignis.*

**C**onstructum tum habeas furnum in quo  
ignem immortalem servare valeas in eo  
calorem parabis arenae primi gradus in quo ros  
compositi nostri elevatur & circulatur & hoc  
jugiter de dic & nocte citra ullam intermissionem,  
&c. in tali igne morietur corpus & reno-  
vabitur Spiritus tandemque glorificabitur ani-  
ma, nova corpori immortali & incorruptibili  
unita sic factum est cœlum Novum.

F I N I S.

# V A D E - M E C U M PHILOSOPHICUM

*Sive*

Breve Manuductorium ad Campum Sophiæ,  
Secretioris Philosophiæ Arcana referens  
in gratiam Doctrinæ filiorum.

*Auctore AGRICOLA RHOMÆO, horum  
Arcanorum vere adepto.*

Dialogus inter Tyronem Philalethum & Rho-  
mæum Agricolam libri hujus Authorem

*Circa pulveris argyropoietici chrysopoieticique  
jus, naturam, effectum, atque fabricam,*

Tractatus nulli qui hactenus lucem vedit se-  
cundus, brevis, planus &c ab intimis ex-  
perientiæ visceribus depromptus.



V A D E - M E C U M  
P H I L O S O P H I C U M ,  
*Sive*

Breve Manuductorium ad Campum Sophiæ,  
Secretioris Philosophiæ Arcana referens  
in gratiam Doctrinæ filiorum.

*Phil.*  Alve vir mihi plurimis nominibus honorande , de tua circa arcana naturæ investiganda peritiae magna ad nos allata est fama , ea propter cupidus te videndi magno animi cum ardore me huc contuli , gratulorque animæ meæ sic te mihi repertum salvum beneque valentem spero quoque à scriis magis negotiis vacari tibi posse , ut paucis tecum confabulari mihi permittatur.

*Rho.* Te ex animi tui sententiâ me reperisse ipse quoq; gaudeo , nomenque tuum si fas sic rogatum te vellem.

*Phil.* Nomen mihi Eirenæus Philalethes Philoponus qui olim medullæ tuæ Alchymiaæ in duas partes septemque libros divisæ duas præfatorias præmisi Epistolas.

*Rho.* Te salvum gaudeo meque familiariorrem tecum habiturum amicitiam spero , talemque dari inexpectato huic rei opportunitatem ex animo lætor.

*Phil.*

*Phil.* Licetne perinde mihi (cum bona tua venia) quædam de arte hæc tum secreto (quam tamen ut Tyronidis summi facio) te rogare, vel si tibi molestum fuerit, unico mihi verbo imperabis silentium.

*Rho.* Immo vero tibi licet mihi que gratum erit cum tali amico aperte magis solito de secretis hisce rebus tractare.

*Phil.* Gratias candori tuo habeo maximas, qui sic me immerito beas beneficio quod ut meminisse mihi nunquam datum est, tamen ex quo tua bonitas id concesserit, pergam de iis quæ mihi scrupulum magnum injiciunt abs te querere.

*Rho.* Ubi libet, incipe tibi me ad respondendum paratum promitto, idque quanta possum cum perspicuitate ac brevitate.

*Phil.* Primo itaque abs te peterem, quid de pulvere aurifico argentiflicoque censeas.

*Rho.* Verum credo & naturalem, & per artis cooperationem ad naturæ administrationem perficiendum.

*Phil.* Rationes quibus adductus hoc credis libenter abs te audire vellem.

*Rho.* Indubias audies, quippe hisce oculis vidi, manibusque tetegi ipse, quoque per artem perfecisse profitcor, natura administrante.

*Phil.* Id certo tibi argumentum certissimum maximeque coniictivum fateor, me vero qui  
tale

tale quippiam viderim nunquam, quomodo in dubio argumento potis es convincere.

*Rho.* Fateor hoc tibi oculari nunquam testimoniō convicto dubium esse posse, nec immērito testimonium quoque meum fabulæ similium videri non mirarer, & tuum (ubi testis fide dignus es) testimonium omni naturali argumento præferendum est. Illud nimirum certam rem facit, hoc tantum probabilem reddit, alios proin authores tibi proferam qui huic testimonio meo attestabuntur, sic in plurium ore testium (quos falsi accusare non possis) firmum statuit omne verbum.

*Phil.* Isthoc nihil opus est; nam & egomet ipse non paucos hoc idem affirmantes legi, quibus fidem denegare perversum illisque indignum videbatur at ocularem testem convenire diu quidem exoptavi, te igitur talem mihi notum factum gratulor animæ meæ, tuumque (ingenuè tibi dico) pluris facio testimonium præsens cum sis, quam omnium aliorum quos hactenus legi; rogo itaque te ut de Lapidis istius conditionibus differere velis.

*Rho.* Ad hoc præstandum paratissimus tibi adsum, tu modo quæstiones tuas apte rogandas vide aliter tu ipse culpandus eris si modo responsum ex animi tui sententia non acceperis.

*Phil.* Cujus formæ & coloris Lapis est?

*Rho.* Huic ut exactè satisfiat questioni intellegere te oportet Lapii nostro varios esse vultus

ac diversas facies alius quoque atque alius est ejusdem status de quibus plane & succinete. Lapis enim est nobis tam albus quam rubeus: uterque porro prout ex ovo habetur à seipso diversus est quando supra metallum suæ speciei projectus est.

*Phil.* Quam ego differentiam audirem libenter.

*Rho.* Lapis albus coloris est argentei summè candardis & coruscantis, cui comparatum argentum purissimum politum obscuri candoris esse, respectuque ad pulverem nostrum habitu nigrescere aliquatenus videbitur; Cui vero assimilarem albi Lapidis colorem nescio nisi fortè argento summè depurato ac politissimo inque foliis radiis sic ut illos reflectat posito, non vibratam inde lucem sed argentum ipsum sic collatum intueri; utque illud sic Lapis nester nitore suo oculos obruct & quasi effuscabit.

*Phil.* Lapidis rubei forma & color qualis?

*Rho.* Optimus Cinnabaris Cortafus colorem ejus proximè (quod sciam) mentitur; præ ruboris tempe intensione nigrescere quasi videtur, uti sanguis vitalis in frigore condensatus ac propemodum exsiccatus vel Croci instar Anglicani optimi contundendo congregati fortiter & compressi.

*Phil.* Differentiam pro statu ejusdem divisoro explices.

*Rho.* Ex ovo colligitur pulvis hic perfectus tam

tam albus quam rubeus farinæ instar subtilissimæ cujus atomi solares subtilitate æmulantur, & tamen pulvis est instar auri ponderosus scintillisque micans, cum corpore vero suæ speciei perfecto mixtus vitri est ad instar non pellucidi & transparentis at fissibilis pulverisque sui colorem refert.

*Phil.* Corpus ei ob quod miscetur?

*Rho.* Quia scelicius per illius admissionem succedit projectio.

*Phil.* Qui illud fit?

*Rho.* Magi per intentam experientiam rem sic se habere sunt edocti quod argumentum omnium quamvis fortissimum sit fatendum, alia tamen à rei natura deduceta addere in promptu est, quorum primum & præcipuum hoc est quod pulvis ille tam aurificus quam argentificus in primam sui acceptionem nimis sit indeterminatus & à metallica natura elongatus, qui per metalli perfecti commissionem familiarior redditur: deinde in hac arte pulveris in projectione virtus melius dignoscitur, facilius quippe est unum supra 10 aut 100 quam supra 1000 multa projicere præfertim cum nondum pulveris sui tingentis energiam expertus sit artifex: parvæ etenim tincturæ quantitatis in magna metalli tingendi quantitate facilimè fit jactura, aut enim scoriis metalli tingendi quantitate complicata perditur, aut vel ipsis carbonum sumis dispergitur, ideoque unum supra decem

tamdiu projiciendum Philosophi suudent donec tinctura cesset, purumque ex Igne metallum perfectum excernatur album rubrumve pro tincturæ projectæ qualitate.

*Phil.* Est ne tantæ hæc tinctura efficacia?

*Rho.* Non in prima sua perfectione talis est qualis reiteratis operationibus redditur; in primâ fui namque perfectione quamvis non nisi supra 100 cadat, ast reiteratis solutionibus ac coagulationibus ad tantam proiectus est tincturæ energiam ut virtus ejus supputari non possit.

*Phil.* Projectionis modum audirem abs te libenter.

*Rho.* Si projectio fiat supra Mercurium ut sit sæpiissimè in Crucibulo hic ad ignem calefiat, usque dum Mercurii crepitus ejusdem paratam denunciet fugam, tunc nota Elixeris portio projicitur, quæ statim Mercurium intrat, tinxit atque figit, sidit putà statim Mercurius instar offæ flavæ vel albæ pro medicinæ projectæ varietate in crucibili fundo vigorato tum igne crepitus fieri instar lauri foliorum cremantium, scintillæque cum flamma discolori apparebunt, ignis autem ad liquefactivam usque fusionem perfectam continuetur in summo follibus sufflantibus aut venti furno (attracto aëre) igne vigorato quam possit maximo æstu, donec tantam in crucibulo fusam materiam conspexeris qua tum offusa aurum argentumque purum pro

Elixiris

Elixiris projecti varietate in omni examinis proba præstans reperitur.

*Phil.* Gradualem projectionem clarus atque fusiū illustres mihi vellem quandoquidem supra memini te ex Philosophis gradualem unius supra decimam projectionem laudasse.

*Rho.* Age singas jam mihi ad manum esse pulveris albi rubeive idoneam portiunculam, pulvis esto primi secundi aut tertii gradus prout instar atomorum minutissimorum ex vitro habetur pulverem hunc sic projicio, albam primo supra argentum, rubeum super Aurum purissimum tali pondere ut pulvis à metallo suæ speciei perfecto superetur quinques, fusa effundo reperioque vitrum friabile pulchrum per quam ponderosum sed ut superius dictum non transparens aut diaphanum. Vitrum hoc tum supra decim. Mercurii partes projicio, fundo & effundo, rursumque vitrum reperio; verbo, hanc unius supra decimam projectionem repeto donec tintura cesset, metallumque, ex igne perfectum tantummodo excernatur; Ita Lapidis vires cognitas habeo, deinceps vero Lapidem post primam cum metallo perfecto liquefactionem immediatè supra tot metalli imperfecti aut Mercurii partes licet projicere quot penetrando valet tingere.

*Phil.* Perge sodes ad alia metalla.

*Rho.* Saturnus Jupiterque liquandi sunt & à scoriis suis per fusionem separandi, tum idem

cum his Mercurioque communis habetur processus. Venus primum bene purgata vel liquesciat vel candescat, Mars ignefiat tantum, tincturæ tum nota portiuncula injiciatur vel suprajiciatur; mox vigoretur ignis ad fusionem completam: Venerem & Martem experimenti gratia in projectione usurpasse semel non erit artifici ingratum; veruntamen meo sensu communis projectio supra Mercurium ejusque defectu supra Saturnum aut Jovem instituatur.

*Phil.* Quanto temporis spatio projectio perficitur?

*Rho.* Aptus si modo sit furnus hora una vel etiam horæ dimidium satis erit.

*Phil.* At memini superius te trium ordinum primi secundi & tertii Elixiris obiter meminisse, rogo te ut illud mihi fusius paulo explices.

*Rho.* Primi ordinis elixir dicitur quod ex materia physica unico lineali motu (sive prima rotæ circulatione) perficitur, hoc productum in arte Elixir corporum nominatur, quod tum per septem imbibitiones cibatum tandemque post ultimam imbibitionem putrefactum, dealbatum & rursus coagulatum Elixir secundi ordinis nuncupatur; quod si deinceps cum fermento suo vero physice desponsetur, decoquatur, putrificetur, dealbetur, dein sublimetur exalteturque tertii ordinis Elixir nominatur: utque primus corporum ita tertius hic spirituum Elixir appellatur, cuius tanto efficacior

tin-

tinctura primo Elixire quantum Sol Lunave ab hoc vi penetrativa atque subtilitate superatur , cuius transcendentis virtutis spiritualis respectu primæ perfectionis elixir hebes corporeumque magis judicatur , ideoque comparativè ad aliud corporum Elixiris nomen fortitum est ab antiquis Magis. Secundum itaque Elixir sive ordinis secundi medium est inter primum & tertium , cum nimurum primæ perfectionis Lapis imbibitur atque cibatur , decoquiturque ad primæ decoctionis exemplum emerit tum inde Elixir medium , quod catenus Elixir spirituum quodammodo dici meretur , quatenus Elixir primum post completas imbibitiones iterato moritur putrefit atque renovatur , corporum tamen Elixir adhuc vere est in quantum ultimam suam spiritualitatem nondum est assolutum quod per Philosophicam fermentationem ad votum obtinetur ; hoc tum Elixir ignis ad instar somite perpetuo adaugeri in posse habetur.

*Phil.* Estne Sophorum Lapis facilis liquefactionis annon ?

*Rho.* Facillime fluit , præcipue si metallo fuso Mercuriove calefacto suprajiciatur & tamen nullo prorsus igne avolat sed fixus permanet.

*Phil.* Ex Philosophorum tamen scriptis edictus sum tantum ad opus hoc requiri ignem ut à principio ad finem usque Mercurius qui composito inest in eodem dies noctesque circu-

setur; unde igitur fieri potest ut pulvis hic (ulti-  
mi cuius ignis primis ad minimum sint duplo  
maiores) tam facilis sit in projectione fusionis ut  
Mercurii fugam anticipet fluxuque suo intret  
retineatque nec multo magis igne triplo majori  
in vitro fluat, ac funditur, sicque non pulvis  
at sub vitri specie eximatur.

*Rho.* In promptu est responsum primo qui-  
dem quod supra calefactum Mercurium sive  
metalli laminam ignitam citius & facilius (affi-  
nitatis intuitu) fluat liquecatque quod si  
per se solum pulvis iste calfieret: Sic aurum  
purum fusionis difficillimæ, cum Antimonio  
igne modesto liquatur, ad hoc autem facit præ-  
cipue elixiris cum Corpore perfecto (antequam  
super metalla imperfecta projiciatur) colliqua-  
tio, per quam faciliorem quam habuit ante li-  
quabilitatem obtinet. Sic Solem cum Antimo-  
nii regulo permixtum oblitum suæ pristinæ in  
igne pervicaciæ, plumbi instar stannive levi ca-  
lore funditur; imo Luna cum Antimonio fu-  
sione permistum per se quamvis utrumque sit  
fusionis difficilis mixtione tamen sua sic se mu-  
tuò temperant ut seipsa separatim fluxibilitate,  
decuplo superare experimento triviali vulgo-  
que notissimo comperiantur.

*Phil.* Istane ergo causa est, quod cum cor-  
pore suæ speciei perfecto pulvis solificus argen-  
tificusque ante sui projectionem colliquatione  
misceantur?

*Rho.*

*Rho.* Illa ipsa est causa, seorsim puta pulveris ad instar calcinati magnum præfert ignem, at Vulcani procellam cum auro argento ab sorptus funditur quæ operatio inceratio dicitur, quoniam deinceps instar ceræ (quâ ad Epistolas obsignandas utimur) calore permodesto fluit, Mercuriumque fugacem faciliter penetrazione intrat, retinet, condensat, coagulatque.

*Phil.* Secretum sane maximum mihi patefecisti hincque aperte causam video cur in portâ ultima quæ projectionem docet in hunc sensum Riplæus scripserit, multos esse in hac arte laborantes qui opus quod fecerant perdunt dum super impiura corpora projectionem instituunt, quæ projectione perfecta discolora livida & cum friabilitate nigricantia reperiuntur & hoc ideo (ut ex mox dictis conjecturam facio) quia non facile fluit Primi Ordinis pulvis, nedum quādiu pulvis manet alterius cuiusvis ordinis nisi cum corpore suæ speciei perfecto fundatur, prius tum vero in vitri metallici tincti formam redactus instar ceræ fluit super metalli lamellam calefactum Mercuriumve projectus, alias vero corpora imperfecta ob nimiam ab illis elongationem non sat cito intrat funditus illa fecem suum expuant igne auctiori, quarum tincturæ pulvis confusus atque irretitus commiscetur illuditurque vana temeritate delusi artificis spes.

*Rho.* Rectissime & juxta genuinum naturæ sensum rem colligis.

*Phil.* Legi præterea in Sapientum libris quod quantumvis arcani hujus compos auri argenteive tantam copiam comparandi in posse habeat ut (si qui venderet supereisset) totius terrarum orbis pretium perfolvere possit, hoc tamen artis effectum præ aliis scientiam hanc comitantibus vile adjudicent.

*Rho.* Certissimum; per hanc nempe artem vita longa, sana, & ab omni morbo & ægritudine libera obtinetur (præter alia non contemnda secreta) vitrum liquidem malleabile, gemmarumque confectio, lumen quoque perpetuum huic arti originem suam debere norunt & testati sunt ex priscis atque modernis Philosophs non pauci.

*Phil.* Cujus coloris, gustus, odoris ac consistentiæ medicina illa est ad sanitatem conciliandam vitamque tuendam?

*Rho.* Consistentia illa mellis instar, color puniceus, gustus suavis, odorque summè fragrans; tale est arcanum nostrum quo ad medicinam sensibilium vegetabiliumque utimur.

*Phil.* Differunt ergo medicina ad metalla transmutanda illaque ad humanam sanitatem accommodanda?

*Rho.* Longè equidem inter se diversificantur, & tamen una est eademque utriusque basis Elixir vero transmutatorium fixum est, metallicamque

licamque habet resistentiam quo minus naturæ nostræ opem condignam ferat medicaminis nomine assumptum (quamvis est in hac fixissima forma egregias in medendo virtutes possideat) nullas tamen si cum auro potabili vero conferatur quod volatile est prorsus (Solis ad instar) in quovis liquore solubile, eoque respectu à metallica natura pristina elongatum diaphaneitatem (cum solubilitate in vino) adeptum est, quæ metallicis corporibus talia manentibus denegata prorsus est, ideoque aurum potabile verum in metallicam iterum substantiam nunquam nec cogi nec reduci potest; de cuius fabrica miraque virtute fusius suo loco.

*Phil.* Magnum Naturæ mysterium in eoque maximam Dei benedictionem descripsisti; exardescitque jam animus ut ad ejusdem disquisitionem me accingam; te itaque etiam atque etiam rogo ut de secreti hujus fabrica differere mecum digneris.

*Rho.* Paratus adsum roganti tibi candidè respondere.

*Phil.* Primo proinde audire abs te cupio quanto tempore Lapis hic ad perfectionem sit producendus.

*Rho.* Duo sunt Lapidès, albus & rubeus; utriusque porro tres sunt ut superius adivisti ordines qui diversi cum sint diversum tempus ad suam perfectionem requirunt; verbo tamen, perfectio completa infra annum vel in anni saltem

*Phil.* Nempe hoc vis quando vera principia  
debite unita justo ignis regimine decoquun-  
tur.

*Rho.* Id certè supponendum est aliter ab ex-  
traneis principiis tempus nullum nisi finem ri-  
diculum dabit.

*Phil.* Principia vera quo sumptu paranda?  
& quanto tempore præparabilia sunt ut operi  
huic accommodentur.

*Rho.* Pretium non excedit sumptus aureo-  
rum duorum cum dimidio si materialium pon-  
dus 3 viij. non excesserit pondus tum inter se  
principiorum erit, una pars rubei masculi ad  
femellæ albæ partes tres (parsque una pro 3 ss.  
capiatur) terræ tum respectu, aquæ mineralis  
proportio triplex erit sic ad corporis 3 ij. aqua  
3 vj. erunt quæ de integro 3 viij. efficiunt,  
melior autem aquæ est æqualis proportio, vel  
ad summum ejusdem partes duæ ad unam ter-  
ræ, totum sit vel uncias quatuor aut ad sum-  
mum sex ponderabit. Juxta itaque operis au-  
gmentum pretium quoque proportionabiliter  
adaugebitur. De tempore quoque verissimum  
est illud Philosophi nobilis, quod ars hæc du-  
decim horis addisci, octoque dierum spatio in  
effectum perduci possit.

*Phil.* Hoc paulo planius te rogo ut illu-  
stres.

*Rho.*

*Rho.* Sis itaque caute attentus non etenim intelligere te vellem quasi tantillo tempore opus Elixiris perficeretur, illud siquidem bona fide decem ferè mensium spaciū requirit priusquam purpureo vox triumphans diademate coronetur; Ast principia Lapidis materialia vera intra septimanam sic adaptari & deputari possint, ut nullus deinceps labor restet nisi ut conjungantur ac debite decoquantur ad usque complementum.

*Phil.* Animum discursu hoc tuo reddidisti mihi hilarem, rogo jam te plurimum ut de ipsis principiis sermonem instituamus, postea ut de illorum matrimonio vero & decoctione debita verba facere digneris; impatiens nimirum futurus sum usque dum hæc audiero, dic ergo sedes quot sint Lapidis hujus principia.

*Rho.* Si de genere rogites unum est immo unicum sed si de specie tres nec plures nostrum magisterium ingrediuntur species, hinc in Philosophorum libris tam saepe legitur unum tantum esse verum hujus operis principium, cui nihil addendum nihil minuendum, sed superflua tantum removenda sunt, alias autem in scriptis de Sulphure Mercurioque suo sale item naturæ leges, sine quibus tinctura hæc physica præparari nequit & utroque verum affirmatur.

*Phil.* At tyroni mihi artisque ignaro sententiæ hæc non modo diversæ at contrariae apparent;

rent , hoc in promptu mihi est tale ingenium ut enantiomata hujuscemodi ad harmoniam revocarem , rogo te ergo plurimum ut hac in re Mercurium te mihi præbeas.

Rho.Id faciam equidem ac lubens,scias proinde quod quamvis lapidem nostrum distinctæ tres ingrediantur species,omnes tamen illæ separatim acceptæ non sunt materiale Lapidis nostri principium , cum sint vulgò nobiscum satis notæ. Quo nomine excellētissimus ille Philosophus Bernardus Comes Trevisanus : si , inquit, planc artem nostram doceremus , facilis adeo est ut vix credere posses ; atque hinc opus nostrum , opus mulierum , ludusque puerorum nominatur ; conjunctæ vero tres illæ species , pondere debito per longam decoctionem debito calore gradibus (prout exegit materia digestibilis) vigorato factam post longam patientemque expectationem auspicante numine unicum illud verum dabunt principium quod omnia ad Lapidem nostrum requisita in se continet , ideoque scipsum solvet coagulabitque , putrefaciet , purificabitque , ad Cœlos sursum volare iterumque ad terras descendere faciet , volatile fixumque reddet , colorēsque ante operis complementum apparentes ordine producet , hoc est Sol noster , non vulgi , Mercuriusque noster vere Philosophicus , qui tam admirandas possidet virtutes , hoc est unicum illud verum principium cui nihil addendum nec minuendum ,

quia

quia sine vasis aperturâ manuumque impositione solo igne debitè administrato omnes ejus superfluitates separantur atque rejiciuntur , cruditates maturantur , venenumque in medicinam summam exaltatur , corpusque leprosum in immortalem naturam cælestem & tamen super omnia fixam inque igne permanentem penetrantem & tangentem perficitur administrante arte , cooperante naturâ , disponente ab extra subtilissimo artificis docti , seduli , patientis Deumque ex Corde timentis ingenio.

*Phil.* Capiò & existimo sensum tuum in hunc nempe modum , quod sicut Maris feminæve ipermata separata non sunt Embryonis principium materiale sed utriusque spermatis spirituælis duntaxat **Coniunctio** sive **unio** : pariformiter & prædictæ tres species separatæ ad opus nostrum nequicquam faciunt , sed res vulgares tantummodo sunt atque sic æstimandæ ; tum vero primum materiae nostræ faciem nomenque induunt , cum debito pondere commistæ , mediante plurimorum dierum temperata decoctione , unionis indissolubilis vinculo (post elementorum separationem & circulationem uniusque in aliud rotationem) elementa summe depurata atque inter se exquisitissimè adæquata , æterno inviolabilis unitatis foedere conjunguntur , quæ **coniunctio tetraptrativa à Philosophis nominatur** , estque in toto opere maxime laudabilis & solennis ; sicut nimirum aqua simplex

plex cum Maltha lupulisque decocta sive infusa unum ex his tribus emergit cerevisiae principium decoctum nimirum seu polenta, quæ per fermentationem maturata cerevisiam dat, in qua pristina inter maltham lupulos & aquam differentia, in decoctione primum, ac postea in cerevisia non respicitur, sed ex tribus hisce principiis liquor resultans unicum est immediatum cerevisiae principium, unumque apud omnes gentes (quibus notum est hoc potus genus) fortitur nomen; ita & in hoc opere magico sophico rem habere existimo.

*Rho.* Verissime concipis, & perspicuè tam animi tui sensum quam ipsius rei veritatem elucidasti.

*Phil.* Sed an tres solæ species ad opus Lapidis exoptantur & sufficiunt, an plures tribus requiruntur.

*Rho.* Tres tantummodo species in opere hoc locum habent quod & Bernardus in operis sui quadripartiti partis tertiae conclusione non obscurè innuit sub his verbis: Opus, inquit, nostrum fit ex una radice & ex binis substantiis Mercurialibus, crudis puris ex minera tractis, &c. Radix ibi idem est quod operis basis Ripæo, significatque Sulphur maturum, quod in Sole est, atque perfectè digestum, quorum secreta nostra digestione utriusque Mercurialis substantiæ maturantur, & ad perfectionem non simplicem at gradibus multis exaltatam deco-

P H I L O S O P H I C U M. 269  
decoquuntur, est ergo radix hæc principium  
operis nostri magis principale.

*Phil.* Fusius ac planius te rogo explices.

*Rho.* Sermo noster hoc loco subtilis atque  
valdè acutus erit, ideoque animo te adesse ve-  
lim attentissimo; Hic siquidem doctissimus  
Bernardus lectorem ut aures arrigat provocavit,  
eandem tibi (Mercurii mizetetice) cautionem  
offerò, diverso siquidem respectu unum, alte-  
rum, atque tertium ex principiis nostris, sum-  
me atque minime principalis dici potest, cardo  
hic unicus est super quem omnes in arte hac  
tractanda ambiguitates enantiomata & con-  
tradictiones volvuntur, hinc ortum atque ori-  
ginem trahunt.

*Phil.* Mihi ergo Labyrintho hoc involuto  
rogo ut Ariadnes filum porrigerem digneris.

*Rho.* Faciam, tu saltem animo, non tantum  
auribus adsis. Ex speciebus nostris una principale  
principium nominatur, quatenus effecto de-  
terminationem superinducit reducitque alias  
ad suam (perfectionem puta) speciem, idcoque  
ignis naturæ in arte nostra nominatur, Riplæo  
dicitur menstrui tertii parens, & non sine causa;  
hoc unum siquidem principium cætera duo de-  
terminat & glorificat, quo respectu duo alia  
dicuntur principia superficialia, pondus puta  
augmentatur, & ab his mors compositi habetur;  
ignem præterea contra naturaleni accendunt  
inter quem & ignem naturæ (qui in tertio sub-  
iecto

je<sup>c</sup>to operis principali latet) per conjunctionem utriusque ignis , uniusque adversus alteram resistentiam , ignis innaturalis sive medius inter ignem naturae & contra naturam excitatur , mediante quo putrefactio vera completur , ita finis respectu subjectum in quo latet ignis contra naturam est principium maxime superficiale , de quo Pontanus scribit , quod cum materia non transmutetur , quamvis superius unam istius ignis conditionem hanc ponit , ut cum materia possit transmutari , unde colligere fas est quod ex omnibus speciebus una haec minus ceteris elixi-  
ris perfecti pondus augmentat , aliquid tamen , & ab hinc praecepit terra damnata in opere per-  
venit , de qua Arcephius in libro suo secreto ple-  
ne atque planè scribit : pariter & aqua operis homogenea sine qua uterque ignis conclusus , & mortuus æternum dormiret : haec nimirum latentem virtutem operatricem (alias sopitam) excitat elixatque tinturam ex imperfecto prius corpore , quâcum acuata perfectum pos-  
tea corpus diruit latentemque prius spiritum palam educit . Haec tamen ipsa post finitos hos labores occiditur , figitur & coagulatur , & in radicis naturam coalescit , non secus atque aquæ succus per radicem plantæ attractus in eandem herbam formaliter & substantialiter concrescit unde & aqueam quoque naturam in hoc opere superficialis principii notâ insignire veritati non est incongruum .

Phil.

*Phil.* Non igitur principale ideo principium Sulphur maturum dicitur quatenus materiæ majus pondus adducat?

*Rho.* Neutquam, imo potiorem non ponderosiorē proportionem sibi vendicat, est quippe præ cæteris principiis ponderis maximi, & tamen utrumque aliud principium in suam naturam formaliter transmutat.

*Phil.* Capio jam sensum tuum, scilicet ut gemma tritici minima est portio crescentis plantæ cuius ponderis residuum totum succo aquæ ascribendum est; qui tamen succus quatenus indeterminatus in se liquor existit ad omnia aquæ vegetabilia nutrienda aptus est: ideoque quamvis pondus ferè totum vegetabilis tritici succo debeatur, gemma tamen ejusdem principalius subjectum satenda est, puta quæ fermento suo specifico succum in suam naturam transformat, non absimiliter in magisterii nostri operatione censendum judico.

*Rho.* Rectissimè rei sensum & veritatem concipis.

*Phil.* Superius autem (ni fallor) memini te dixisse quod alio atque alio respectu omnes hæ species maxime & minime principales dici possent, respectu nimirum habito ad opus nostrum; instantiam etiam in Sulphure fixo operis radice sive basi dedisti, utinam alias explicares respectus quorum intuitu cæteræ species in opere principales proprio sermone dici possent.

*Rha.* Id faciam attenus proinde esto & primò cum ignis contra naturam subiecto incipiā, qui Riplao Leo viridis est, & Flamello Draco Babylonicus. Quandoquidem operis radix sive basis (corpus perfectum) per se res mortua, inefficax & ad omnia motum inepta reperitur, ideo hic custos portenarius Bernardi Comitis, artis clavis ab omnibus Philosophis agnoscitur, qui teste Pontano omnia perficit, & in quo solum & unicum absconditum secretum, sine quo labor omnis est frustraneus. Hic hortus est noster Philosophicus in quo arbor aureus plantatur & crescit cuius poma augmentur centuplo millicuplo & milles millicuplo, merito igitur in arte primas obtinet, diciturque quibusdam Philosophis artis radix, ut in Rosario magno habetur: Radix, inquit, artis est sapo sapientum; Hic ignis propterea mutato nomine nunc Luna nunc Sulphur, alias Mercurius sophorum; Terra quoque illorum non raro, dicitur, praeter quem solum nihil prorsus in suis libris occulterunt Philosophi.

*Phil.* Quo tenet idem & de Mercurio dici possit?

*Rha.* Hoc nimirum in quo utraque alia species sine Mercurio nihil in opere faciet, hic nimirum in mineralium hac extractione agit vices aquæ fontanæ in vegetabilium extractione, ideoque aqua mineralis dicitur quæ virtutem & cincturas minerales per ignis digestionem extractum,

hit, easdemque in se occultas atque absconditas retinet: per se etenim res sicca manet mortua, at per animæ additionem corpus vitam recipit vitalesque actiones cum motu demonstrat.

*Phil.* Jam si tibi molestum non fuerit trium prædictarum specierum in opere efficaciam officiumque designes rogo.

*Rho.* Corpus est fixitatis principium, per quod duo alia principia fugitiva atque instabilia in operis nostri fine retinentur atque figuntur; spiritus ingressiois medium est, quo mediante aqua ad Corporis profunditatem penetrat, ignisque internus ex carcere suo liberatur sine quo motus nullus ad completam corruptionem perfectamque generationem erit expectandus. Aqua tandem (quæ anima est) utriusque corporis compages solvit, mineræ primò, quod apertum Sulphure suo crudo atque imperfecto cuncta devorat Mercuriumque mortificat, cuius morte tria hæc principia uniuntur, putreficant & glorificantur, vitamque nonam priori longè nobiliorem recipiunt.

*Phil.* Intelligere sensum tuum mihi videor optime, rogo te jam obnixe, ut quid velint Philosophi cum Solem suum non esse Solem vulgi affirmant (idemque de Luna sua, suoque Mercurio scribunt) me edoceas.

*Rho.* Dico tibi bona fide quod sola nostra Luna (quæ solis uxor est in opere) nomine mutuato nos deludat; Cæterum Sol & Mer-

214 V A D E - M E C U M  
curius pro Sole & Mercurio vivo proprie sunt  
accienda.

*Ehil.* At quomodo à falsi crimine Philo-  
phos ita scribentes liberabis , si modo res sic  
(prout dicis) se habent ?

*Rho.* Optime , & si animum iis quæ supe-  
rius dicta sunt adhibuisses planè intelligisses  
quod Philosophi quamvis sic scribunt de indu-  
stria ut homines indignos ab arte arceant , pul-  
cherrimè tamen Artis filio cum veritate consen-  
tire comperientur.

*Phil.* Rogo te ut hunc mihi nodum solvas.

*Rho.* Faciam verbo : compositio nostra quæ  
Morieno dispositio dicitur , à Bernardo Comi-  
te Lapidis proportio sive pondus vocatur. Illa,  
inquam , sola compositio Solem Mercurium-  
que nostrum à Sole Mercurioque vulgi discri-  
minat ; Hæc etenim compositio cum debito  
regimine est vivifica , naturarum alterativa , cor-  
ruptionis inductiva , novæque generationis sola  
vera parens . Quæ sit itaque nostra illa disposi-  
tio , quodque nostrum regimen sedulo inquiras ,  
alias voto tuo frustraberis , sine hac namque scien-  
tia tam theorica quam practica Aurum tuum ,  
Mercurius tuus vulgaria in æternum mane-  
bunt ad operis tui destructionem certissimam .

*Phil.* Rogo te plurimum ut hanc mihi com-  
positionem sive dispositionem cum regimine  
suo exponas .

*Rho.* Attendas igitur : corporis perfecti albi  
vel

vel rubei (quod masculi vicem gerat) cape partem j. e. g. 3j. Arsenici nostri (quod foeminæ vicem habeat) partes duas sive tres, Aqueæ maris nostri partes 4. vel plures quot volueris usque ad 12. Omnia subtiliter commixta in vas Philosophicum imponantur & in calore debito decoquantur, obstructo firmissimè vasis orificio, ne humiditas exhalando avolet. Hac dispositione & regimine solvitur corpus cum coagulatione spiritus, utrumque porro moritur atque putreficit, deinde resuscitatur & glorificatur fitque ex utrisque corpus resuscitatum novum, glorificatum atque Spirituale, quod ad summam puritatis atque fixitatis perfectionem, per continuatam decoctionem exaltatur.

*Phil.* Capiò (ni fallor) sensum tuum nisi quod Arsenici nomen mihi in hoc magisterii perfecti opere plane novum sit; addis insuper quod foeminæ vicem in hoc opere sustineat, cum tamen foeminam omnes uno ore Philosophi Lunam esse affirment.

*Rho.* O te tardum ingenii hujus artis discipulum! acutum tuum ingenium quo naturalius res intelligas. Luna nostra quæ foemellæ vices habet proles est Saturnia, quæ cum bellico Dco affinitatem conjugii contraxit, ideoque Veneris nomine ab invidis vocatur; Arsenicum vero dicitur partim quia uti cuprum ab Arsenico dealbatur, ita & Arsenicum hoc nostrum aurum in albedinem tingit membraque illius dilacerat;

Propriè tamen dicitur Aqua vitæ , quia corpora olin mortua ad vitam disponit , & Mercurii ad instar ad ignem lenem viva illa reddit cum fluxibilitate currentia ; nominatur etiam aqua Intoxicans , quia corpora odore suo inficit , tanquam Lethali toxico , & à sua stabilitate illa alienat vocatum Arsenicum , quia corpora (veneni ad instar) mortificat & languida reddit ; Luna nominatur partim quia Lunam claritate colorisque splendore æmulatur , præcipue vero quia humore abundant , & ut cœlestis Luna in Terris ita & hæc in opere nostro humiditatem regit , aquasque multiplicat .

*Phil.* Annon igitur Luna vulgo nota (quod Lunæ nomen apud Philosophos obtinuit) fœmina est , & pro solis uxore habenda ?

*Rho.* Nihil minus Argentum vulgi masculinum est & ut mas agit , quare in opere Lapidis Solis defectu adhiberi possit , opusque perficit . Illa vero Luna quæ fœmina est & pro Solis uxore (in magisterii productione) adhibetur non est corpus at chaos merum spiritusque mirabilis . Et quamquam pro Corpore etiam possit haberi est tamen vivum & vivificans . Quapropter apud Philosophos media substantia appellatur , aquæ quippe respectu corpus dici potest : terræ fixæ intuitu Spiritus est . Sulphur hoc nostrum est crudum atque immaturum Mercuriusque vivus coagulatus non fixus tamen . Corporum perfectorum destructor est , illa

illa siquidem diruit, reincrudat & mollit aptaque ad opus nostrum reddit. Saturni proles est, atque sic à Philosophis agnoscitur, estque unicum & maximum in arte tota secretum, ad cuius occultationem cuncta Philosopherum Ænigmata excogitata sunt atque inventa.

*Phil.* Video jam quod quamvis planè & aper-  
tè visus sis Solem & Mercurium nominasse,  
magnum tamen opus sit unum nostrum ve-  
rumque principium ex his elicere.

*Rho.* Recetè judicas, opus etenim nostrum est naturas primo miscere, secundo illas digere quousque alterentur, uniantur, renoventur, atque tandem perficiantur. Satis autem ducimus ad intentionem nostram quod prima nostra dispositio, has omnes quas recensuimus opera-  
tiones (in effecto) in se contineat ideo ut qui bene naturas sibi mutuo adaptaverit, illasque debito pondere miscuerit, totum magisterium (sine ulla manuum impositione) consecuturus sit, & hoc satis tibi esto de principiis nostris quæsivisse.

*Phil.* Rogo saltem ut me breviter exponen-  
tem, quomodo sensum tuum intellexerim,  
audire digneris.

*Rho.* Bene mones, perge, paratus tibi adsum.

*Phil.* Sensum eorum quæ dixisti hunc esse concipio, nempe pro operis radice corpus per-  
fectum album rubeumve capias, hoc cum cor-  
pore imperfecto, (pure tamen à terrenis super-

218 V A D E - M E C U M  
fluitatibus purgato) pondere justo misceatur; cui tum aquæ puræ mineralis (à Solis Lunæve montibus defluæ) sagax proportio addatur (arri-ge aures lector, nam sermo hic perdifficilis est) calcinetur in operis primo limine corpus perfe-ctum per imperfecti connubium, sic in ovum physicum exquisitissime commixta imponantur, igneque per gradus suos exactissimè sub-ministrato ad perfectum usque complementum die nocteque jugiter decoquantur.

*Rho.* Exacte tenes rem.

*Phil.* Ex dictis tamen aliæ emergunt qua-stiones in quibus enucleandis auxilium tuum imploro.

*Rho.* Age, propone, ego autem te, quantum fas est, candidè instruam.

*Phil.* Corpus imperfectum quomodo præ-parari debet ut huic operi accommodetur?

*Rho.* Ab omni Sulphure superfluo & com-burenti (quocum in mineris nascitur) liberari requirit, postea occultum ejusdem (quod in profundo sui centri est) manifestandum erit; ita mulier nostra meretrix intemeratæ virginita-ti per artem restituitur, atque sic Soli terrestri in uxorem datur, cum tamen eidem ipsi tam foror quam mater à Philosophis comperiatur.

*Phil.* Signum Corporis imperfecti præparati legitimè quodnam est?

*Rho.* Candor egregius instar argenti purissi-mi, splendor cœlestinus, miraque in mem-bro-

brorum dilaceratorum commissuris coruscatio, instar marmoris ensisve politissimi fulgur. Quapropter opus hoc regium Rex summus signavit, vilius tamen res est, etiam & pretiosissima, in cruditate sua venenum homini brutoque lethale, metallorum quoque destructor est, atque prædo; in exaltatione vero sua per occulti manifestationem medicinam dat quæ summatum metallis, animalibus, vegetabilibusque sanitatem conciliat: temporis quoque perfectionem (præcellenti qua prædicta est virtute) superinducit: omnia, verbo, corpora universaliter mundificat, omnemque illorum infectionem radicitus tollit, ægritudinemque expellit.

*Phil.* Quo nomine tum nominatur, dic sodes?

*Rho.* Mille ei nomina ab antiquis pariter ac modernis Sophis imposita leguntur. Riplæo Leo viridis est qui Solem Lunamque devorat, eorumque membra veneno suo in frustula putrefcere facit, solumque est atque unicum medium perfectas ex illis tinturas assequendi. In turba aqua maris nominatur in qua perfecti corporis tabellæ tam diu decoquuntur quo usque confringantur. Artephio acetum aceratum montiumque acetum dicitur. Apud Joan. Pontanum pro igne secreto laudatur, de quo mira illa in Epistola sua prædicat, ejusdemque peradmirabilem descriptionem facit. In Flammelli summario vegetabilis Saturnia, mineralis, regalis triumphansque herba quæ in monte

220 V A D E - M E C U M  
te crescit nominatur. verbo ut expediam nescio  
quo nomine non nuncupetur, proprietatem tamen Lu-  
na Solis uxor, ejusque non nunquam umbra, &  
in hoc opere Sophico fœmina Eva Beyaque ap-  
pellatur. Saturni Deastrorum senioris proles est  
unde Venus à quibusdam nominatur; huc quo-  
que non parum confert, quo cum Marte bellico-  
so coeat, & à Vulcano in coitu deprehendun-  
tur; Nemus porro sibi dicatum habet ideoque  
venatricis Diana nomen accepit, breviter de hoc  
mirabilitatis subiecto versus iste verificatur:

*Dicitur hec Luna in nominibus omnibus una.*

*Phil.* Annon etiam Mercurii Philosophici  
nomine gaudet?

*Rho.* Certissime, idque maximè proprie, est ete-  
nim in sua perfectione antequam operi conveniat  
argentum vivum occidentale, quod Auro longe  
antefertur illudque vincit, membraque ejus o-  
mnia à se invicem dilacerat, estque unicum in o-  
pere nostro primæ calcinationis medium, quare  
molendinarium cribrumque Philosophorum di-  
citur, marmor item supra quod corpus in atomos  
teritur & sine illo calcinatio nulla (opere nostro  
proficua) habetur: cum corpore vero perfecto,  
antea per ponticam suam vim calcinato, post  
completam dissolutionem in unum novum cor-  
pus per regenerationem concrevit, in putredine  
vero in pulverem lividum atque obscurum unum  
cum corpore mortificatur, quia cinis tum ma-  
gnesia sive Saturnus dicitur, plumbumque Phi-  
losoph-

Ioſophicum quia Saturnias corpori qualitates Mercurius hic noster ſuperinducit hoc eſt corpus deſtructum, in quo quamvis contineatur Sol aut Luna latenter atque inviſibiliter, neutrum tamen illorum eſt vel aurum vel argentoν vulgi.

*Phil.* Annon hoc eſt argentoν vivum quod Artephius mediam ſubſtantiam nominavit.

*Rho.* Certe.

*Phil.* Ejus mihi appellationis cauſam affignes oro.

*Rho.* Primo media eſt inter mineram & metallum ſubſtantia juxta Philoſophum, ſumenda inquit res eſt quaꝝ nec plene perfecta eſt, nec adhuc de toto imperfecta. Quicquid enim jam perfectionem acquiſiſit in hac requieſcet nec ulteriore ſponte morem appetit motus quippe finem in completa ſpeciei ſui perfectione conſecutum eſt. Res porro quaꝝ de toto imperfecta eſt inepta proſuſis concludi debet corporibus perfectis ad plusquam perfectionem adducendis. Quare (addit Philoſophus) ſi rem medianam accipiſ, ſcilicet, in qua natura ſuas incepit operationes, illasque ab extra impedita imperfectas reliquit in viā tamen ad perfectionem, comprieſ rem imperfectam in hoc opere perfectam & gaudebit cor tuum. Secundò media eſt ſubſtantia inter corpus & ſpiritum, terram & aquam. Corporis perfecti intuitu Spiritus eſt purus; aquaꝝ mineralis autem reſpectu corpus eſt, corpus tamen revera Hermaphroditicum, auri reſpectu

222 VADE-MECUM PHILOSOPHICUM.  
spectu argenteo Mercurius vivus est , & aqua  
fugitiva Mercurii vero mineralis collatione terra  
vera apparet , terra tamen Adamica h.e. Chaos  
sive limbus nominari meretur. Proteus verus  
est , res , inquam , præ cunctis universi concretis  
corporibus apprime mirabilis , quæ si cum cor-  
pore perfecto fucrit conjuncta incredibili festi-  
nantia fluit calore perdebili , corpusque perse-  
stum in veram aquæ mineralis faciem subitâ  
metamorphosi transformat , & ab aëre quantum-  
vis constringatur , vera tamen rubei Latonis  
dealbatio censenda est , quam jubet Philosophus  
quidem fieri per aquam albam tepidam , suffo-  
catam aquam addas aquæ , congelatæ fluidam ,  
suffocatæ limpidam ; Ignem igni commisce con-  
creto volubilem , fixo volatilem , concluso libe-  
rum ut teneatur pondus , & in decoctione sua  
brodium tibi saginatum dabunt , nullo pretio  
emendum . Quare cum carnium tibi sit defectus ,  
ne comedes leprosam , sed sanam , non macram  
sed pinguem , sic aurum & argentum erit tibi  
copiosissimum . Rejice filium Leprosum cuius  
mater in foetus sui generatione menstruum passa  
est . Elige vero Beyam pulcherrimam summi re-  
gis sororem , hanc cum fratre suo Gabritio con-  
junge ut inter se filium gignant , qui regum erit  
potentissimus futurus . Perge jam , quæso ad alias  
quæstiones , plus enim de Arsenico hoc nostro  
sive ære imperfecto ne frater fratri communica-  
ret , neque quidem opus est .

F I N I S.

Catalogus Librorum editorum Authore  
Æyrenæo Philalethe Cosmopolita.

L A T I N E.

- 1 *Introitus apertus ad occlusum Regis Palatum*, in 8.  
*Amst. 1667.*  
— *Idem in Museo Hermetico*, in 4. Edit. 1677.
- 2 *De Metallorum Metamorphosi.*  
*Editore Mart. Birrio,*
- 3 *Brevis Mansuductio ad Rubinum* } in 8. *Amst. 1668.*  
*Calestem,*
- 4 *Fons Chimicae veritatis,*  
— *Idem in Museo supradicto.*
- 5 *Enarratio Methodica trium Ge-*  
*bri Medicinarum.*
- 6 *Vade-Mecum Philosophicum sive*  
*breve Manuductorium ad Cam-* } in 8. *Amst. 1678.*  
*pum Sophia,*
- 7 *Experimenta de Preparatione*  
*Mercurii Sophici,*

A N G L I C E.

- 8 *Introitus Apertus ex Manuscripto perfectiori traductus*  
et impressus, in 8. Lond. 1669.
- 9 *Medulla Alchymia diabata partibus Carmine conscri-*  
*pta*, in 8. *ibid. 1664.*
- 10 *Expositio in Epistolam Georgii Ri-*  
*plai Equit. Aurat. ad Eduardum*  
*quartum Anglia Regem,*
- 11 — in Praefationem G. Riplai  
ad Compositionem sua Alchymia,
- 12 — in sex priores Portas ejusdem  
Compositionis Alchymiae,
- 13 — in Recapitulationem Por-  
tarum ejusdem Riplai,
- 14 — in Visionem Riplai,
- 15 *Experimenta de Preparatione*  
*Mercurii Sophici,*

M. 111

## Manuscriptorum.

- 1 *Expositio in sex posteriores Portas Compositionis Alchymia ejusdem Riplai. Anglice.*
2. —— *in Rotam ejusdem Riplai, Anglice.*
3. —— *in Experimenta Erronea ejusdem Riplai, Anglice.*
4. —— *in Arnoldi Ultimum Testamentum, Latine.*
- 5 *Inchiridion Experimentorum cum Diurnali Meditationum, in quo continentur prescripta multa Philosophica, totum secretum declarans cum enigmate, Anglice.*
- 6 *Cabbala Sapientum sive Expositio Hieroglyphicorum Magorum, Anglice.*
- 7 *Opus Elixiris Aurifici & Argentifici.*
- 8 *Brevis Via ad Vitam longam sive Alchymia triumpans.*
- 9 *Elenchus Errorum in Arte Chymica deviantium.*
10. —— *Authorum potissimum in Arte Chymica.*
- 11 *Analysis Operis.*
- 12 *Clavis ad Opera ejus.*
- 13 *Expositio in Flamellum, Artephium & Sendivogium: sed incertum est utrum Author noster hanc scripsit vel non.*

F I N I S.